

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + Keep it legal Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/





. . . . 

. •

.

·

.

•

.

.

IIH 801 .F4 S678 E93

•

,

· · ·

### RECUEIL

DE

Chroniques, Chartes et autres Documents concernant l'Histoire et les Antiquités de la Flandre-Occidentale,

.

PUBLIÉ PAR LA SOCIÉTÉ D'ÉMULATION DE BRUGES.

# PREMIÈRE SÉRIE.

CHRONIQUES DES MONASTÈRES DE FLANDRES.

Omnia probate, quod bonum est, tenete.

In omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum Filium suum Dominum nostrum. Amen.

\_

.

Eversham, Belgium. (Augustinian monastery)

# A † PRINCIPIUM.

# CHRONICON MONASTERII EVERSHAMENSIS,

CONSCRIPTUM

# PER GERARDUM DE MEESTERE,

EJUSDER MONASTERII CANONICUM,

### WINNOCI-BERGENSEM,

PRO GLORIA DEI ET UTILITATE CONFRATRUM. 1629.

COLLECTA

Cura et studio duorum Dixe. Brug. Sacerdotum.


000

BRUGIS.

TYPIS VANDECASTEELE-WRRBROUCK.

1852.

96-41



Le Président, Inlfartury

Le Secrétaire, they se thitere de Tophay



### LISTE DES MEMBRES EFFECTIFS

#### DE LA

Société d'Emulation pour l'étude de l'Gistoire et des Antiquités de la Klandre.

### Messieurs :

15 Feb.24. EHN

- 1. L'abbé C. CARTON, directeur de l'institut des sourds-muets et des aveugles de Bruges, chevalier de l'ordre de Léopold, membre de l'académie royale de Bruxelles, etc. *Président*.
- 2. P. DE STOOP, membre de la société des sciences physiques, etc. de Paris. Trésorier.
- 3. EDMOND VEYS, docteur en droit, chef de division au gouvernement provincial.
- 4. L'abbé J. O. ANDRIES, chan. honoraire, décoré de la croix de fer, chevalier de l'ordre de Léopold et de l'ordre de St-Grégoire-le-Grand.
- 5. H. VAN DE VELDE, président du tribunal, à Furnes.
- 6. L'abbé F. VAN DE PUTTE, curé à Boesinghe, membre de la société des antiquaires de la Morinie, des beaux-arts de Gand, etc.
- 7. J. J. DE SMET, chanoine, décoré de la croix de fer, chevalier de l'ordre de Léopold, membre de l'académie et de la compussion royale d'histoire, à Gand.
- 8. MONSEIGNEUR L. J. DELEBECQUE, évêque de Gand, assistant au Trône Pontifical, prélat domestique de S. S. et comte Romain.
- 9. F. VAN HAMME DE STAMPAERTSHOUCKE, chevalier du St-Sépulcre; à Bruges. 10. J. J. VERMEIRE, propriétaire à Bruges.
- 11. E. VAN DAMME, propriétaire à Furnes.
- 12. DE NET, chevalier de l'ordre de Léopold, avocat à Bruges.
- 13. VAN DE WEYER, ministre plénipotentiaire du Roi des Belges, à Londres.
- 14. RUDD, architecte de la ville de Bruges.
- 15. ERNEST LEFÈVRE-VAN DEN BERGHE, numismate à Gand.

## 403291

#### LISTE DES MEMBRES EFFECTIFS.

- 16. VAN CALOEN-DE CROESER, à Bruges.
- 17. ANTOINE VERVISCH, à Bruges.
- 18. PH. BLOMMAERT, avocat, secrétaire de la société des bibliophiles flamands, à Gand.
- 19. J.-L.-A. DIEGERICK, archiviste de la ville d'Ypres, professeur à l'athenée de Bruges, membre de la soc. des sciences, des arts et des lettres du Hainaut, de la soc. hist. et litt. de Tournay, de la soc. royale pour la recherche et la conservation des monuments historiques dans le grand-duché de Luxembourg, de la soc. des antiquaires de la Morinie, de la soc. d'agriculture, sciences et arts du département du nord à Douai, etc.
- 20. DE MEYER, docteur en chirurgie, président de la commission provinciale de médecine, membre de l'académie de médecine, chevalier de l'ordre de Léopold et de la Légion d'honneur, à Bruges.
- 21. Le Baron DE GERLACHE, premier président de la cour de cassation.
- 22. Le D<sup>r</sup> DE RAM, recteur magnifique de l'université catholique, à Louvain, chanoine honoraire de la métropole de Malines et de Notre-Dame de Paris, chevalier de l'ordre de Léopold, membre de l'Académie et de la commission royale d'histoire, etc. etc.
- 28. PROSPER CUYPERS, archéologue à Bruxelles.
- 24. L'abbé FÉLIX DU JARDIN, missionnaire de l'évêché, à Bruges.
- 25. JOSEPH DE NECKER, sénateur, à Ypres.
- 26. KERVYN DE LETTENHOVE, à St-Michel lèz-Bruges, membre corr. de l'académie de Belgique, membre de la société hist. de France.
- 27. L'abbé VERDEGHEM, archiviste de l'évêché de Bruges.
- 28. Le comte DE LOOZ, à Bruxelles.
- 29. VERBEKE, curé à Meulebeke, décoré de la croix de fer, ex-principal du collège de Courtrai.
- 30. MONSEIGNEUR J. B. MALOU, évêque de Bruges.
- \$1. IMBERT DES MOTTELETTES, à Bruges.
- 32. VAN HUELE-VERHULST, à Bruges.
- S8. THÉODORE DE JONGHE, chevalier de l'ordre royal de Léopold, membre du conseil héraldique, de la commission royale pour la publication des anciennes loix de la Belgique, de l'académie d'archéologie, de la société des bibliophiles Belges, et de celle des bibliophiles de la Flandre-Orientale; à Bruxelles.
- \$4. CHALON, président de la société des bibliophiles de Mons, membre corr. de l'académie royale de Belgique à Bruxelles.
- 85. J. DE MERSSEMAN, docteur en médecine, membre de l'académie de médecine, de la société des beaux-arts à Gand, secrétaire de la commission provinciale de médecine, chevalier de l'ordre de Léopold, à Bruges.
- **36.** SERRURE, professeur à l'université de Gand, membre corr. de l'académie royale de Bruxelles.
- \$7. F. VERGAUWEN, sénateur, président de la société des bibliophiles flamauds, à Gand.
- 38. JULES MAZEMAN DE COUTHOVE, membre des états provinciaux à Ypres.
- 89. LE GLAY, directeur des archives du département du nord, correspondant de

### LISTE DES MEMBRES EFFECTIFS.

l'institut de France, de l'académie royale de Belgique, etc., chevalier de la Légion d'honneur et de l'ordre de Léopold; à Lille.

- 40. J-B. BLOMMAERT, à Gentbrugghe-lèz-Gand.
- 41. DROUET, secrétaire de légation près de l'ambassade à Londres.
- 42. Mer MOREL, chanoine, camérier secret de Sa Sainteté, membre du comité central de l'industrie linière de Gand; à Gand.
- 43. DAVID, président de la pédagogie du pape Adrien IV, membre de l'académie royale de Bruxelles, à Louvain.
- 44. Le chevalier DE SCHIETERE DE LOPHEM, à Bruges, Socrétaire.
- 45. AUGUSTE LAMBIN, antiquaire, à Gand.
- 46. DE CRANE D'HEYSSELARE, bourgmestre d'Aertselaer, à Malines.
- 47. NOLET DE BRAUWERE VAN STEELAND, docteur ès lettres, chevalier de l'ordre de Léopold et de l'ordre de la couronne de Chêne, membre correspondant de l'académie royale de Belgique, à Bruxelles.
- 48. CONWAY, intendant de la liste civile de S. M. le Roi des Belges.
- 49. ALPH. VAN DEN PEEREBOOM, membre de la chambre des représentants, à Ypres.
- 50. L'abbé VISSCHERS, curé de St-André à Anvers, ancien professeur au petit séminaire de Malines.

### MEMBRES HONORAIRES.

### Messieurs:

- 1. Le baron d'INGELMUNSTER, comte d'Oisi, etc., à Ingelmunster.
- 2. P. BUYCK, architecte-voyer de la Flandre-Occidentale.
- 3. J. DE CLOEDT, à Freyr-lèz-Dinant.
- 4. WALLAYS, peintre d'histoire, à Bruges.
- 5. WITTOUCK, chirurgien, à Hulste.
- 6. SNELLAERT, docteur en médecine, membre de l'académie royale de Bruxelles, à Gand.
- 7. Le chevalier MARCHAL, conservateur des manuscrits à la bibliothèque royale, membre de l'académie royale de Belgique, à Bruxelles.
- 8. H. PIERS, membre de la société royale des antiquaires de France, etc. à Lille.
- 9. L. A. WARNKOENIG, professeur à l'université de Fribourg et conseiller aulique du grand-duc de Bade.
- 10. DE GODEFROY DE MÉNILGLAISE, à Paris.
- 11. MESSIAEN, ancien archiviste de la ville d'Ypres, à Furnes.
- 12. DE BRAUWER-VAN DER GHOTE, à Bruges.
- 18. COPPIETERS, docteur en médecine, à Ypres.
- 14. P. VERTÉ, docteur en médecine et en chirurgie, à Bruges.
- 15. C. T. HERMANS, recteur des classes latines et archiviste de la ville de Bois-le-Duc, bibliothécaire de la société des beaux-arts du Brabant septentrional, etc.
- 16. LOUIS DE BAECKER, correspondant du ministère de l'instruction publique pour les travaux historiques, membre de la commission historique du département du nord, de la société des arts et sciences de Douai, des antiquaires de la Morinie, de la société d'émulation de Cambrai, etc.
- 17. E. DE COUSSEMAKER, correspondant des comités historiques, à Hazebrouck.
- 18. KERVYN DE VOLKAERTSBEKE, membre de l'académie d'archéologie de Belgique, de la société des beaux-arts de Gand, etc.
- 19. HENRI DE LA PLANE, secrétaire perpétuel adj' de la société des antiquaires de la Morinie, à St-Omer.
- 20. J. GARNIER, secrétaire perpétuel de la société des antiquaires de Picardie, à Amiens.

### HOC QUODCUMQUE VIDES, HOSPES, QUO SPLENDET EVERSAM ANTE NECEM FRATRIS SYLVA, PALUSQUE FUIT.

Lucus eram primum rigidis infestis ab apris Mors infausta viri causa quod Ara forem. Quum fratres venantur, aprum fors sauciat alter; Hinc discors odii semina frater alit. It, ruit in cædem frater fratris, (ferus hostis!) Sed mæstus placat corde, manuque Deum. Area tum primum facili sum æquata cylindro, Cæptaque sum toto forma rotunda loco Ara mihi posita est parvo concincta sacello Qua pacale litet munus, ob acta, Deo. Me struxit pietas, structamque vocavit EVERSHAM: Quod Pratum-ex-Apri sanguine palluerit, Stavela me subdit, furniscis ponor in arvis: Isara me liquidis qua ratis abit aquis. Verum Augustini florente sub ordine clero, Officio Ivonis, se meus auxit honos. Sollicitate prece Gualberti, Elbodonisque favore, Libera demittor præsulis ore, manu. Dedicor Aurelii titulo tituloque Vedasti, Et cadis in titulos inclyte Petre, meos. Qua data, succisis collucor pascua silvis, Candidaque exulibus vellera pasco foris, Nunc assurgo quidem parvæ sub imaginis umbra Sed breve, Joannes præsul adauxit opus. Hic mihi præpositus Thomas in sua munia sumpsit

1

Quum veteri Iprensi depulit æde scelus. Ille deinde meæ vitæ cerealia curans,

Accedit supplex Flandriadum comites.

Gertrudis comitissa dedit mox iugera centum Quindenas metas claustri ad amena sitas

llicet hæc solymo monstrantur at ille legendo Laudat, et e decimis comprobat aucta suis.

Fratrum vota petens, infligere dira nocenti, Res (ait) Ara mea est chara perena fide.

Opto piis voveas æternos manibus annos Quisquis Evershamiis vis dare thura sacris.

Panem Gertrudis, dat Walo obsonia cives Isaridis; iam grex otia sancta facit.

Regula tum morum custos, et conscia virtus Floruit, et casto pectore divus amor.

Quamvis uda palus me lamberet Isaraque amnis Circum piscosis attamen armor aquis.

Effossoque varo vehimur per stagna, salumque, Et statio est ratibus non malefida pigris.

Triste paludosis peninsula sistar ab undis: Rore tamen maio, ceu paradysus ero.

Non raro et nocuos patiamur ab imbribus euros Mox zephyri læto prata virore beant.

Scilicet interdum miscentur tristia lætis,

Et iuvat alternis ludere fata polis.

Sic demum protexit opus suprema coronis, At cadit in subitos alta corona rogos.

EVERSHAM eversam (proh ! lugubre nomen et omen) Instaurat petra nobiliore Petrus.

Belgia concordi conflavit ut arma tumultu Me dedit incestis geusea pera focis.

Me porro Cæplt Dare TorrentlnUs honorl; Pergit Joannes prospera-dante deo.

Interea DIo LUgente sUb aëre teMpLo EXeqUias. At opUs se erIgIt (sic).

# PROOBHIUM.

Ad gloriam Dei quæ dudum quæsita composui de monasterio Eversham, hic tandem aliquando posteris dare decrevi. Valde dolebam nihil de eo inveniri: Volupe autem mihi plurimum inventa vel hæc quantulacunque scripsisse, sperans fore vel uni posterorum placitura. Sin minus, nil mea; hoc asseverem me, qui antea tantum cœperam, didicisse, plenè vicissitudines et gratias flocci pendere, quæ alioqui in monasteriis sublimia et sesquipedalia parent. Tempus edax rerum est. Adesse festinant tempora utentes hoc Mundo fiant tanquam non utantur: præterit enim figura huius Mundi. Nolite diligere igitur ea quæ in mundo sunt: gaudete vero quia nomina vestra scripta sunt in cælis, et in LIBRO VITE. Summi quidem honoris fuit scribere historiam secundum Græcos: secundum Rom. (teste Cic.) Nihil opus est oratore, SATIS EST NON ESSE MENDACEM. Quis nesciat primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat, dein, ne quid veri non audeat? nequa suspicio gratiæ sit in scribendo, nequa simultatis: ita ille. Cicero non eget laude mea. Utinam sic omnes sectentur in historiis veritatem! Itaque historiam, quæ nihil aliud (eodem teste) est, nisi annalium confectio, de

### PROCEMIUM.

nostro monasterio chronologice confecturus, hanc legem sequi annitar, ideoque quidquid historicæ rei ordinem minime tangit, vel ut extraneum rescindam; alienum quippe mihi semper visum huiusmodi inserere, nisi perbreviter tribus verbis: multo magis quod mendacium sapit. Prævideo hic nonnullos fore, qui, ubi sic viderint in unum collectum (qualequale fuerit) risu, vel sibilo excipiant. Talis est hominum inertium genius, qui dum non est, segniter appetunt; dum vero est, aversantur, ac in angulum projiciunt, sed insulse admodum ac imprudenter: ideoque labore suo liber eos ac pretio reputat indignos, sufficit mihi hoc in studio mei delectio animi. Quid namque tam miserandum quam nihil scire, nihil retinere de patrum nostrorum memoria? Semper est hoc manere pueros. Denique mihi et si non nisi labor fuerit, tamen multo iucundior. Cicero dat brevem modum scribendi. Ipsa inquit, exædificatio (historiæ) posita est in rebus et verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem, in rebus magnis memoriaque dignis, consilia patrum, deinde actus, postea eventus expectentur etc. Verborum autem ratio et genus orationis fusum atque tractum, et cum lenitate quadam æquabili profluens, sine iudiciali asperitate, sive sententiarum forensium aculeis prosequendum l. 2 de Or. Non omnia ist hæc hic sunt: sed unum hoc ut benefaciamus? (quid namque magis propinquum quam beneficentiæ non oblivisci?) Benefactoribus quorum sustentamur misericordiis; nimirum sæculares corporalibus, ecclesiastici nos pascunt spiritualibus, his vivimus beate cælo in terris. De primis dicitur: illi sunt viri misericordiæ quorum pietates non defuerunt: de secundis: Mementote prepositorum vestrorum qui vobis loquuti sunt verbum Dei igitur.

> Auscultate animis, si vestras forte per aures Nomen Eversham ivit, fama celebrante, sodales, Et vacat annaleis nostrorum audire laborum; Iam primå claustra repetens ab origine pergam, Et narrabo viros quets non oblivia stabunt.

# EVERSHAMENSE.

Omnia probate: quod bonum est, tenete.

### In omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Amen.

Ex maiorum traditione accepimus duos fratres hoc in loco (erant enim tum sylvæ et paludes) aprum fuisse venatos: et capto tandem ab uno eorum apro, hunc ex æmulatione ab altero fuisse occisum; superstitem porro (ex devotione an ex iniuncta sibi pænitentia, incertum) eodem loco condidisse altare sive sacellum, et exhinc deinceps in memoriam facti locum fuisse et manere nominatum, HEVERSAM, quod latina lingua sonat quasi APRIPRATUM. Namque EVER est APER: et HAM, sive HEM olim apud antiquos Francones sive Sycambros, signabat domum, pascuum, vel pratum.

Deinde huic etymologiæ favet quod habetur in antiquioribus nostris

chartris vernacule de pascuis nostro monasterio contiguis et conterminis, den grooten, den kleinen hem (Magnum, parvum pascuum sive pratum.) Concordant nostri insignia monasterii. Hinc denique nobis notissimus versus:

> Me pietas struxit, structamque vocavit EVERS-HAM. Ebersheim, in Argent. episcopatu.

Huic nomini consimilia inveniuntur, ut Everghem apud Gandavum. Eversdyck in Zeland. Eeversham in Anglia, et Evesam monasterium. In Franconia orientali EVERHAIM; EVERSBORCH in diœc. Osnab. Successu porro temporis petente Walberto sacerdote, et favente Elbodone canonico Casselensi R<sup>mu</sup> Gerardus Morinorum episcopus locum liberum constituit, et in congregationem sive monasterium et ordinem canonicorum regularium ordinavit anno Domini 1091.

B. namque Ivo præpositus primus monasterii S. Quintini ordinis canonicorum regularium S. patris nostri Augustini in Viromanduis, demum episcopus Carnotensis, vir egregie eruditus ac pius, dictum ordinem omni sapientia atque studio illustravit, reformavit anno Domini 1090: de cuius canonizatione, tractatum edidit Clemens sextus (Pont. M.) circa annum 1350, Quo factum est ut extunc mirum in modum ordo cæperit crescere, viris quoque scientia, gloria, ac sanctitate claris florescere; ita ut non pauci ad vitæ sanctimoniam ac summum pontificatus culmen proveherentur: ut historiæ satis docent. Inde non pauca eiusdem s. ord. ædificata monasteria, hoc nostrum monasterium etiam fuit sub eodem tempore. De quo tale adhuc (gratias Deo) residuum pertinuimus instrumentum in hanc formam:

In nomine S. et individuæ Trinitatis:

Ego GERARDUS gratia Dei Morinensis episcopus ob salutem et remedium animæ meæ, vel antecessorum, seu successorum meorum, peti-

tionem venerabilis et honestæ vitæ sacerdotis GUALBERTI, et ELBODONIS Casselensis canonici suscipiens, altare quoddam, quod situm est super Isaram Fl., in loco qui dicitur HEVERSAM, favente præfato Elbodone, in cuius parochia continebatur, cum atrio adiacente, liberum constituo et ab omni exactionis debito pro amore Dei et S. PETRI apostoli, sanctique Vedasti confessoris absolvo.

Illud etiam constituo, ut, si ibidem fideles dederint unde fratres aliqui sustentari possint, apostolicam canonicam vitam JUXTA B. Au-GUSTINI regulam iugiter teneant et observent: Oleum infirmorum a nobis ipsi accipiant, et sine retractatione sepulturam possideant. Si vero in tantum res creverit, ut pastore fratribus opus sit, quem ipsi elegerint, nobis adducant, ut curam et consecrationem a nobis suscipiat, Domino tantum et nobis obediat. Siquis vero hanc nostram constitutionem violare temptaverit, aut de beneficiis eiusdem ecclesiæ aliquando usurpare voluerit, a sanctissimo corpore et sanguine Domini alienus existat, quousque Domino et ecclesiæ prefatæ satisfaciat.

Factum est hoc anno millesimo nonagesimo primo: regnante Philippo Francorum rege, dominante Roberto Flandrensium comite. Anno præsulatus Gerardi episcopi VIII. S. presentibus testibus: signum Arnolphi archiepiscopi. S. Ilberti archiepiscopi. S. Milonis decani. S. Joannis abbatis. S. Giroldi abbatis. S. Ingelberti abbatis. S. Lanfridi. S. Petri abbatis. Carrocen. S. Baldrici abbatis Burguliensis. Signum Bernoldi præpositi. S. Lamberti præpositi. S. Odonis. S. Custodis. S. cantoris Folquini.

Ex his colligimus quam nihil annalista noster Meyerus de hoc nostro monasterio reliquerit, uti canis ex Nilo, bibens: ex omnibus aliquid, et ex toto, nihil.

Igitur sacellum loci d'EVERSHAM liberum constitutum est anno Domini M. XCI. sedente Romæ in cathedra Petri S<sup>mo</sup> D<sup>no</sup> nostro URBANO II. Archiepiscopo Raynoldo. Episcopo Gerardo. Imperante Heinrico IV.

7

Regnante Philippo I Francis. Principante Flandris Roberto Frisio. Altare istud erat valde subjectum alluvioni aquarum, quod in palustri situm loco sit et, ut post vidimus, satis basso pavimento, adeo ut postea ad vi pedes elevaretur.

Exinde verosimillimum autumo eundem sacerdotem Gualbertum huic altari per aliquot annos in quiete contemplationis Deo vacando, servivisse, atque de altari vixisse. Sunt namque arva eius et census in Merchem: ita habet ms. codex: Erven ende erfvelyke renten toebehorende de capelrye vant clooster van Eversam in de prochie ende heerlykhede van Markhem. Et clarius: De capelrye van Eversame landt. Anno Domini 1093 moritur comes Robertus Frisius Casleti; (alii, in Winedale dicunt) iacet sepultus Casleti in S. Petri, in crypta. Eodem vel precedenti moritur R<sup>mu</sup> Gerardus episcopus. Postea Attrebatensis et Cameracensis episcopus ecclesiam Morinorum etiam gubernabat.

Deposito D. episcopo Gerardo successit R<sup>4m</sup> dominus Joannes qui primum S. Ivonis discipulus, deinde religiosus canonici ordinis in Monte S. Eligii, exhinc porro archidiaconus Attrebatensis, demum episcopus Morinensis ecclesiæ consecratus est ab archiepiscopo Remorum Manasse, anno Domini M. XCIX. Fuit ex Wastena apud Lyzam oriundus; extat eius laus apud Joannem Iperium abbatem S. Bertini. Hic vir Deo plenus zelatus pro domo Dei eodem anno nonnulla inchoavit ac promovit, teste Iperio, monasteria in occidua Flandria, et inter hec, eo adiutore cænobium EVERSHAM inchoatum est iisdem qui super regnantibus: papa, imperatore: archiepiscopo Manasse, et Roberto Hierosolymitano Flandrensium comite.

### THOMAS PRIMUS PRÆPOSITUS.

Hic igitur episcopus crescente numero et devotione fratrum, domum sive habitacula pone sacellum edificari curavit, et præsidem, quem præpositum nominat Meyerus, iisdem statim (ut est verosimile) constituit nomine Thomam, forsan canonicum regularem, ex monasterio suo S. Eligii.

Sit itaque chronographicon in memoriale signum :

### TRIBULATIO ET ANGUSTIA INVENEBUNT ET VEXAVERUNT ME.

Exhinc cæpit monasterium nostrum pedetentim et numero canonicorum, et donationibus benefactorum, florere, introductis egregiæ reformationis legibus ac institutis: ut, ieiunii, disciplinæ, orationum, processionum, silentii etc. tam quæ ad mores, quam quæ ad condecentiam spectabant uniuscuiusque; prout ms. codex abhinc 400 plusminus annis edocet 1101. Thomas itaque præpositus Evershamensis Ipris adfuit cum aliis viris magnatibus, in concilio, ubi Joannes Morinorum episcopus, zelo divinæ iustitiæ, præsente Manasse archiepiscopo, Roberto comite Flandriæ, eiecit sacerdotes symoniacos, ita Meyerus anno 1101: quod summus pontifex Paschalis non solum approbavit, sed etiam iussit fieri per litteras ad comitem Flandriæ. Ivit hoc anno noster episcopus Romam, ut testatur Iperius.

Sub hæc tempora cæpit bonus pastor Thomas pro grege pascendo sollicitus esse, nempe impetravit ab illustri Gertrude burggravinna Furnensi, pascua nostro monasterio adiacentia, ut patet ex indulto quod sequitur.

9

In nomine S. et individue Trinitatis. Quoniam dicente apostolo, omnes peccavimus et egemus misericordia Dei, debet unusquisque fidelium secundum quantitatem muneris quod a Deo accepit, omni devotione suspirare, laborare et investigare quatenus ad ipsius Dei datoris et gubernatoris omnium misericordiam de innumeris perpetratis facinoribus pervenire mereamur. Hoc igitur animadvertens et considerans, Ego Robertus, pietate Dei, comes Flandrensis, dominii, quod pia mater mea Gertrudis comitissa fecit ecclesiæ S. Petri et S. Vedasti confessoris, in loco qui dicitur EVERSHAM, in ministerio Furnensi, laudo et concedo: et in audientia totius curiæ Flandrensis ipsius matris meæ religiosam petitionem confirmo. Sunt autem ea quæ contulit, videlicet: vaccaria una cum terra quæ præfato loco adiacet et Berquaria una in Verda. Ut autem hæc præfata sibi competem stabilitatis vigorem in perpetuum teneant sigilli mei impressione cum optimatum meorum et iudicum illius provinciæ testimonio, corroborari præcipio. Volo autem, ut et in orationibus fratrum ibidem Deo servientium memoria mei et antecessorum et successorum meorum fiat in perpetuum; et eius amoris gratia Gouduveerd et decimam de Trist eidem ecclesiæ contrado. Et OMNIA quæ ad ecclesiam pertinent in patrocinio suscipio et constituo: ut quicunque hæc violare præsumsit, præter id quod perpetuum anathema incurrerit, decem libras auri michi sive successoribus persolvet. Actum est Furnis in conventu multorum; anno Dominicæ incarnationis m. cv indictionis 12, regnante Philippo in Francia. Episcopante vero Joanne præsule glorioso. Signum Roberti comitis. S. Bertolphi Brugensis præpositi. S. Reyneri capellani. S. Heriberti præpositi Furnensis. S. Geraldi Caslensis castellani. S. Braulphi Bergensis castellani. S. Florentii Furnensis castellani. S. Ingeriti capellani.

Joannes Morinensis episcopus hoc anno reformat monasterium Phalempinense ad regulam canonicorum regularium; constituto in pastorem Lamberto familiare suo. Itemque circa hæc tempora ob ingentem oceani inundationem accolæ solum verterunt, nec hic immunes fuimus in paludosis arvis. Anno m. cıx kal. maii Furnis translata sunt corpora SS. Willibaldi et Winnibaldi et Walburgis, astante Thoma nostro, Evershamensium præposito cum Gertrude vice-comitissa Furnensium.

# CATHALOGUS

### PRÆPOSITORUM ECCLESIÆ EVERSAMENSIS.

Mementote Praepositorum vestrorum.

~~~**\***~~~

| R. Dominus Thomas            | • | • | • | • | • | • | . vivebat 1101 et 9 |
|------------------------------|---|---|---|---|---|---|---------------------|
| Dominus Hugo præpositus      | • | • | • | • | • | • | . viveb. 1120       |
| Dominus Albertus præpositus. | • | • | • | • | • | • | . viveb. 1133       |
| Dominus Lebbertus præpositus | • | • | • | • |   | • | . viveb. 1175       |
| Dominus Anselmus præpositus. |   |   |   |   |   |   |                     |
| Dominus Joannes præpositus . |   | • | • |   | • | • | . viveb. 1225       |
| Dominus Wilhelmus            | • |   |   | • | • |   | . viveb. 1232       |
| Dominus Joannes              | • | • | • | • | • | • | . viveb. 1238       |
| Dominus Petrus præpositus .  | • | • | • | • | • | • | . vid. ob. 1394     |
| Dominus » præpositus .       | • | ٠ | • | • | • | • | . ob. 1401          |

| Dominus Venantius Damere præpositus ob.                 | 1419 |
|---------------------------------------------------------|------|
| Dominus Eligius Masin præpositus ob.                    | 1451 |
| Dominus Petrus Debroco præpositus viveb.                | 1467 |
| Dominus Balthazar vande Poele præpositus ob.            | 1478 |
| Dominus Joannes van Vleterne præpositus viveb.          | 1502 |
| Dominus Oliverius Beudin præpositus viveb.              | 1526 |
| Dominus Guilelmus Pours præpositus ob.                  | 1538 |
| Dominus Quintinus Caulier præpositus ob.                | 1554 |
| Dominus Rogerius Trier præpositus ob.                   | 1557 |
| Dominus Nicolaus Schatse præpositus ob.                 | 1562 |
| Dominus Joannes van Loo præpositus ob.                  | 1594 |
| Dominus Jacobus vander Becke præpositus ob.             | 1613 |
| Dominus Joannes van Welsenes præpositus viveb. 1631 ob. | 1638 |
| Dominus Jac. Pieren præpositus                          | 1646 |
| Dominus Petrus de Quicke                                |      |

Robertus Hyerosolimitanus, benefactor noster, Orientis domitor, apud pontem Neele prope Meldos, in obsidione equo cadens, miser moritur 1111 tumulatur Attrebati in templo S. Vedasti.

Mater ejus Gertrudis moritur ac sepelitur Furnis, anno Domini 1113: pro cuius anima adhuc annuas Deo optimo offerimus sacras defunctorum preces commendatitias et missas, prima aprilis.

Cæpit congregatio S. Victoris Parisiis 1101, sed ædificato monasterio 1113, factus est 1° abbas Goudwinus discipulus D. Guilelmi archidiaconi fundatoris 1. Item obiit D. Ivo præpositus primus ecclesiæ Belluacensis, post Carnotensis dignissimus episcopus, insignis reformator clericalis ordinis S. Augustini anno Domini M. c. xv, qui inter alia ecclesiam S. Joannis Carnotensis in valle in regularem ordinem vertit: 1099. S. Bern. cum xxx aut circiter sociis intravit Cister. 1113 et exinde ordo S. Bernardi reformatur ac floret.

Obiit circa hæc tempora dominus præpositus Thomas anno (ut vidimus

1118.) Anno namque 1119 D. Hugo subscripsit donationibus ecclesiæ Loensi factis ut præpositus Eversamensis, prout constat ex tabulis apud Myræum.

Item eodem anno vel sequenti fundatum est primitus monasterium S. Nicolai Furnis, cuius D. Joannes Morinorum episcopus confirmavit possessiones et confirmationi dominus Hugo præpositus noster, existens Furnis, cum B. Joanne Morinorum episcopo et aliis, ut testis subsignavit, scriptæ R<sup>mi</sup> eiusdem episcopi bonorum ecclesiæ et monasterii S. Nicolai, sic namque habetur: actum est hoc Furnis anno Dominicæ incarnationis 1120 xII kal. julii, sub testimonio idoneorum testium et venerabilium virorum Hugonis Eversamensis, Gerardi Loensis præpositorum.

1126 Dominus comes Flandrensis Carolus cognomento bonus occisus Brugis in sua capella, operi misericordiæ intentus, a Buscardo Stratensi, ad cælos evolavit in martio. Una autem cum eodem fertur occisus Walterus de Lokris, et habemus in ms. nostro sic: Nota quod in anniversario domini Walteri de Lokris et domini Adolphi de Renighes prebendam integram etc. 13 panes det vinarius. Dubitamus hic an sit idem.

Circa hæc tempora, nempe anno Domini 1130, obiit R<sup>mu</sup> dominus noster episcopus Joannes, meritis et virtutibus clarissimus, quem titulo beatitudinis clarificant scriptores. Fuit multum familiaris B. Godefrido Ambianensi. Lege eiusdem vitam apud Surium. Erat ex Wastena oriundus nobilis genere. Itemque obiit dominus noster præpositus Hugo.

Successit D. Albertus, qui memoratur interfuisse cum aliis magnatibus, præpositis et comite Flandrensi, dedicationi ecclesiæ S. Winnoci Bergis. Anno Domini M. c. XXXIII.

S. Bernardum abbatem Clarævallis, dum esset in occidua Flandria, (memoratur namque anno Domini M. c. XXXII subscripsisse confirmationi

Milonis episcopi Morinorum, et prædicasse Furnis anno Domini m. c. xxxviii et in monasterio de Dunis) ex traditione Seniorum, hic in Eversam accepimus exceptum fuisse hospicio et convivio.

Huic episcopo concessere summi pontifices plenariam potestatem super omnia monasteria et collegia suæ diœcesis. Dicitur in vita S. Norberti cum quidam diceret quis in illa tempestate excelleret, ait: In Nortberto eminet fides, in Bernardo Clarevallensi charitas, in Milone Taruanensi episcopo humilitas.

Thomas Bekhet cancellarius Angliæ et archiepiscopus Cantuariensis can. reg. occid. S. Martyr, in templo. Dominus Lebbertus præpositus Eversamensis memoratur ut testis subsignasse Ipris donationibus factis ecclesiæ sive monasterio S. Nicolai Furnis, anno 1175. Philippus Alsatius dedit nobis 100 solidos annue ad diem purificationis B. M. de Telonio in Perona, anno Domini 1177.

Hic verosimiliter obiit anno 1180, ut fragmentum epitaphii docet quod est huiusmodi:

Portam, pistrinum, stabulum quoque fecit equinum: Atque molam pariter, ante fores, et iter: Annus millenus — bis novies quoque denus: — (4180). Qui construxit opus quo sua fit caro pus.

Successit ei D. Anselmus in præpositura. De eo fit mentio in donationibus factis ecclesiæ Loensi, sic: coram subtitulatis testibus — Anselmo præposito de Eversam. — Actum est hoc anno 1181.

Hic Lucio PP. III in protectionem obtulit omnia bona monasterii, et is suscepit, de quibus bullam dedit in qua magni multique nominantur benefactores. Prœter alia in numerato erant tunc xviii<sup>c</sup> xxxii mensuræ terrarum. D. Philippus comes Flandrensis approbavit donationem terrarum et decimarum. D. Petri de Mesnil, factam capellæ de Formelles per preces Hellini senescalli, ac etiam confirmavit ut

sacerdos eligeretur e capitulis Eversamensi qui ibi divina teneretur celebrare pro animabus Petri, ejusque filii Rogerii etc. Anno Domini M. C. LXXXIX habet ibi curatus per totam villam (*par toute la ville*) ampla privilegia decimarum, frugum, rerum venalium etc. quasi quidam dominus: est ibi diversorium cui insigne est, Eversam.

Anuo Domini 1191, Philippus Alsatius comes Flandrensis (sepultus in Accharone) vita obiit. Anno 1193, Philippus Augustus rex Francorum donationem superius factam de teloneo in Perona ratam habuit Compendii, anno prædicto regni sui, anno xiv. Eodem anno memoratur Petrum de Mesnil cum aliis subnotasse Furnis.

Initio sec. 1200, S. Franciscus a seculo ad Christum conversus, ei visceraliter et modullitus in novitate sensus sui reformatur et conformatur.

Anno Domini 1222, Ticini sive Papiæ P. Honorius tertius per bullam demissis monachis, ecclesiam et monasterium S. Petri et S. Augustini dictum Cælum aureum, canonicis et regularibus ecclesiæ Mortariensis tradit incolendum et possidendum, ubi sunt reliq. S. P. N. Aug. Vide penott. l. 1, g. 62.

S. Christina dicta mirabilis, in monasterio S. Catharinæ extra Trudonopolim, moritur 3 vice, nam bis resuscitata vixit, circiter ann. 1224. Vide vitam eius mirabilem apud Sur. in jun. ante festum S. Joannis-Baptistæ.

S. Franciscus stigmata Domini Iesu quasi viva cereaque eius imago, accepit in monte Alven. et anno 1226 moritur. Ludovicus VIII, Francorum rex. obiit, 1127 succedit filius, S. Ludovicus IX, coronatus Rhemis duodecim annos natus, anno 1234 ducit uxorem.

Dominus Joannes ab Eversam præpositus memoratur interfuisse translationi corporis S. Oswaldi regis, Bergis in monasterio S. Winnoci, per manus Adæ Morinorum episcopi, anno Domini 1221. Philippus rex dictus Augustus avus Ludovici obiit 1223. Idem episcopus eodem anno procuravit nobis donari in eleemosynam, a viro nobili D. Walone

de Telchin, piscariam tam in fluvio Isara, quam in paludibus, et fossis in eum confluentibus, quam ipse tenebat in Oost-Vleternes usque ad pontem qui vocatur *Hofbrigghe*. — Iste autem episcopus obiit in monasterio Clarævallensi, deposito pedo anno 1229. De Walone autem nihil hactenus audivimus, nec legimus.

D. Joanna Bysantina comitissa Flandriæ, bona ecclesiæ d'Eversam in suam suscepit protectionem quictans terras permutatas cum decima de Polinchove de sex denariis. — Actum Bergis anno 1244. Quæ eodem obiit non. decemb., iacet sepulta Markettæ in claustro sororum Cisterciensium quod vocatur a Cantipratano lib. 2, apud c. 14: Reclinatorium B. M. D. W. .... præp. Evers. anno 1232 viveb.

Decisa est quædam lis ab arbitris, quæ erat inter ecclesiam de Eversam et Adelissam de Oost-Vleternes super medietate piscariæ tam æstivalis quam hyemalis in Oost-Vleternes et super mulvagio cuiusdem molendini dictæ ecclesiæ siti in Wostina versus Poperinghe. Qui ita deciderunt, atque partes convenierunt. Ut illa renunciaret omni juri suo in piscaria et conferret totum in eleemosynam: molendinum autem alio loco poneretur. Deinde ordinaverunt ut particeps illa fieret bonorum quæ deinceps in ecclesia a canonicis fierent, et insuper ut eius aniversaria mortis dies, similiter et patris et matris scriberentur in martyrologio cum aniversariis canonicorum. Actum anno Domini 1248, mense junii. Huius Adelissæ mariti nomen erat Joannes de Reninghelst. Nomina istorum nondum invenimus. Agebatur quidem memoria anniversaria Adelisæ et Walteri de Locris cum liberali eleemosyna, sed ei cognomen erat de Reninghe et debuit vixisse circa ann. vel 1127 vel 1177, eo quod istis annis fiat mentio istius Walteri de Locris; accedit quod codex ille in quo ista memoria est scripta, videatur exaratus in initio plane monasterii, et demum quod hic terras, non piscariam nobis contulerit, ut ex eodem codice discimus, quando dicit: Extra portam vadat processio usque terram Adelisæ et ibi legatur evangelium ubi solebat esse crux. Anno Domini M. cc. Ly, 111 kal. febr. intraverunt

fratres primo locum istum. Theod. castellanus de Dixmuda, dixit quod ecclesia B. Petri et Vedasti de Eversam sit et fiat in perpetuum libera ex omni teloneo in villa de Dixmuda, de omnibus bonis suis ad dictam ecclesiam pertinentibus. — Anno 1265, mense junii. Ex archivis.

Christianissimus et sanctissimus rex Ludovicus IX e vita migrat e pestilentia in obsidione Tunetana cum multis militibus. Anno Domini 1270, 25 augusti: succedit Philippus audax filius. D. Wilhelmus, præpositus Eversamensis, vivebat 1232. Dominus Joannes præpositus, vivebat 1238.

Guido comes Flandrensis amortizavit bona ecclesiæ de Eversam vel eleemosyna vel emtione acquisita, dato desuper scripto in quo parvas enumerat donantium eleemosynas, anno 1295, x maii, et, quum erat contra mandatum Margaretæ eius matris, solverunt amendam.

Eodem anno acquisitus census x schellingorum in Ghyverinchove, alieno nomine, nimirum D. Beatricis van Hoogstade Bonifacius P. VIII, canonicos claustrales monasterio Lateranensi exire ordinavit, et seculares collocavit, singulis ex redditibus monasterii, singulas prebendas constituens. Anno M. ccc. x, eremitæ S. Augustini Papiam venientes à Philippo abbate et canonico Cæli aurei, obtinent ut ad dictum locum casellas construant quo sæpius S. P. reliquias venerentur, primas ex vimine, dein ex lapide, denique auctoritate summi pontificis Joannis XXII, anno M. ccc. xxvII, in dominium habere contenderunt, et canonicorum eiectionem; sed tandem pactis conditionibus impetrarunt ut in servitutem ecclesiæ simul cum canonicis substituerentur. Pen. l. 1, c. 63.

Magna fuit inundatio aquarum in Flandria quæ omne frumentum corrupit, unde secuta est valida annonæ caritas. Anno 1315 D. præpositus S. Martini Iprensis, Daniel, fatetur se, dato desuper scripto et sigillo, vidisse litteras domini comitis Flandrensis, Philippi Alsatii de

donatione agrorum et decimarum in Fromellis 1316. Et Gerardus, præpositus Watinensis, fatetur vidisse se litteras Adæ episcopi, de Piscaria eodem. Item magnus denuo fuit æstus oceani per Flandriam 1320. Joannes du Breuc et Joannes Avoecke inveniuntur sub lapide sepulchrali in nostro templo, cum inscripta fundatione, sed parvi momenti. Eodem, Benedictus P. XII divisit monasteria canonicorum regularium in provincias; Rhemensis et Senonensis pro una est statuta. Sub qua nostrum in his fiat capitulum de quadriennio in quadriennium Penn. 1. 2, c. 13. Tandem predicti eremitæ cum conditionibus ab abbate et canonicis Cæli aurei, sunt admissi, anno Domini M. ccc. XXXI, Penn. 1. 2, c. 62, n. VI.

R<sup>mus</sup> episcopus Attrebatensis Petrus confessus est, dato desuper scripto, quod de iure suo episcopali nihil petere possit a religiosis viris præposito et conventu Eversamensi (præter?) procurationem sive pastum in domo nostra, sive in parochia de Fromellis: singulis (sic) tamen unam debebant nostri si personaliter adveniat nostrum monasterium, anno 1341. Acquisita sunt monasterio nostro, diversis annis, arva et census annui, aliorum sub nomine, anno 1343, 55, 60, 64, 66.

Item D. Guilelmus Reginaldi, vicarius D. Phallarei archidiaconi Attrebatensis, cardinalis S. Petri ad vincula, mortuo pastore de Formellis, arrestabat fructus et emolumenta eiusdem, sed obstante nostro præposito, postea doctorum virorum testimonio informatus recognovit scripto suo et sigillo quod idem præpositus esset in pacifica possessione levandi et capiendi bona in domo curiæ de Formellis; ideo dictis et factis contrariis supersedet ac destitit, anno m. ccc. XLVIII.

Porro Christianus, præpositus Loensis, eas litteras se vidisse testatus est scripto suo dato et sigillo, anno m. ccc. xLIX, stilo novo. Horribilis ventus nocet animalibus ac ædificiis terra marique, in martio, anno 1353.

D. Franciscus de Haveskercka legavit monasterio de Eversam nomine Philippi patris sui et matris, et dominæ de Formengies, xxv111 lib.

parisis redditus, tradiditque chartas agrorum atque censuum, qui sunt in Merchem: videtur autem idem superaddidisse IIII metas terræ eidem monasterio et huic donationi consensit eius frater germanus D. Philippus de Haveskerke et eius uxor Adelis de Tolenare, hac tamen conditione ut in perpetuum haberent in dicto nostro monasterio, III missas in hebdomada, pro refrigerio animarum patris et matris eius, et u missas in septimana pro anima dictæ D. Aviæ patris, et denique integrum officium singulis annis, die S. Remigii, cum memoria dicti Francisci eiusque uxoris; anno 1354. Accessit his donationibus consensus vicarii generalis R<sup>mi</sup> D. Morinorum cum auctoramento subsignato ac sigillato, eodem.

De hoc, credo, est epitaphium in nostro templo ad cornu epistolæ situm: annus quidem concordat, sed dies non item: quia in dicto scripto requiritur dies S. Remigii, at hic postridies animarum: at vero dicendum hoc epitaphium esse Philippi non autem Francisci, cuius forte erat ex opposito a cornu evangelii, ubi frusta lapidei sepulchri et in eo quædam de more scripta vidimus: hi fortasse sunt qui ex duello obierunt, de quibus sic legitur in martyrologio. Obitus duorum fratrum nobilium de Haveskercke qui nobis dederunt certas mensuras terræ. Acquisiere nostri variis in locis metas terrarum et agrorum.

Magna iterum fuit aquarum super agros, arva, et paludes inundatio, nocte natalis Domini.

D. præpositus ecclesiæ S. Petri Loensis testatur se vidisse litteras Adæ episcopi Morinorum, super donatione nostræ Piscariæ, anno Domini M. CCC. LX.

Item nostri acquisierunt alias agrorum metas, modo et nomine consueto — additum nimirum in litteris sub ultima clausula — droeghen op an N. — of den brengher deser — ita quoque in Reninghe, anno 1364. Item acquisiere metas x1 in Crombeke, anno 1366.

Sub hoc tempore erat præpositus huius monasterii D. Petrus qui

præ cæteris (quantum ego perspexi) in annotandis diligentior fuit rebus monasterii. Magno fuimus affecti damno in arvis, fluvio declinioribus, ob intromissam ab Iprensibus Zeltam in fluvios, anno 1365 plus minus.

D. abbas S. Nicolai Furnensis testatur vidisse se scriptum et datum a Poperinghano senatu de 1113 virgis terrarum in Hogstade, ut supra 24 julii.

Burgimagister et senatus Poperinghani quia effoderant alveum veteri Vleteræ ab Heetbeka usque Isaram deducendo, ex nostris arvis reddiderunt pro quadringentis et novemdecim perticis, 1113 in Hoogstade sitas, emtas a D. Guilelmo de Stavela, auctoramento Ludovici Maleani, comitis Flandrensis, dato xix aprilis, Gandavi, M. ccc. LXIX.

Idem Wilhelmus van Stavele, dato desuper scripto vernaculo et subtus sigillo, fatetur nihil iuris se habere inter slusam meridionalem et Heetbekam in agros, aqueductus, fundosque sitos, sed pertinere ad ecclesiam Eversamensem, anno M. CCC. LXX.

Domus Eversamensis fortuite flagravit incendio cum plurimis rebus et scriptis ac privilegiis, ut constabit ex infra oblato libello supplici domino Dixmudensi.

D. Mattheus de Moere cum Gyselino Kerkhove et Guilelmo de Stavele, et D. Philippo de Visch interfuit wateringis nomine D. præpositi nostri, eodem.

D. præpositus et conventus noster offert domino de Dixmuda scriptum super datum immunitatis. Cui dictus dominus respondit — quomodo eius antecessor dedisset litteras — laquelles et privilege furent arses et peries par feu de mescief, qui avient en leur eglise et maison d'Eversam, il leur demeura un copie, ou vidimus — denique concedit quidem sed que le dit religieus seront tousjours tenu de dire une messe du S. Esprit chascun an le 1 avril: — et apres nostre deces il diront de Req. Vigilias et Commendationes. — A Dixm. XVII apr. M. CCC. LXXI.

Dominus præpositus Petrus cum toto conventu Eversamensi concessit

D. Waltero abbati de Dunis, spatia 100 metarum sub dominio nostro temporali, cum onere censuali, videlicet qualibet mensura singulis annis tres solidos parisis et unum pullum — prout notum est quod dictæ terræ nobis tenentur. Acceperat autem (et in litteris suis recognoscit) ducentas libras parisienses, monetæ Flandricæ, in magna nostra necessitate, et in evidentem utilitatem nostram et ecclesiæ nostræ — ita incipiunt litteræ: universis præsentes litteras inspecturis frater Petrus, permissione divina, præpositus monasterii B. Petri et Vedasti de Eversam — totusque conventus eiusdem loci. — Datum anno Domini M. ccc. LXXI, sept. Dominus porro abbas Joannes de Claravallis prædictum contractum et donationem, dato desuper scripto, approbat LXXV. Et vero lapides nostri templi videntur ex simillimis formis ac Dunensis, ac proinde circa hoc tempus reincæptum opinamur.

Denique existimo hoc dominium esse id iuris decimarum quod dederat nobis Robertus comes Flandrensis junior in Goudenouwerd et Trist, anno Domini 1105. Confer cum iis quæ sunt anno Domini 1396 et 1494. At ex quadam bulla Lucii III, data domino Anselmo, abbati nostro et fratribus, aliter paullo esse videtur.

Dominus decanus Eversamensis Georgius Slabbarde et D. Andreas Slavaris canonicus Eversamensis fecerunt permutationem cum D. priore de Dunis de XI metis et XV virgis aut amplius, et locus vocatur Boutshoudt: tunc ballivus erat Nicolaus Herboordt.

Burgimagister et scabini Furnenses scripto suo testantur se vidisse integras litteras Dominæ Joannæ comitissæ Flandriæ, de nostra Piscaria, anno M. CCC. LXXVII. Ipra obsessa anno Domini 1383, per Anglorum exercitum: est valde verosimile nostrum monasterium non fuisse immune ab insolentia militari. Acquisita nostræ ecclesiæ arva in Lampernessa, 1388.

Mattheas de Moere noster (ni fallor) religiosus, missus est Aldenardam cum D. Oliverio van Eekhoute, contra wateringarium ad concilium Flandriæ, Bruckeri; posteaquam egerant suas repetundas Elsendammii,

21

Eversamum venerunt, et xL solidos quas expenderant, solverunt, 1389, dantes subinde conventui vinum recreationis.

D. præpositus noster memoratur interfuisse Elsendammii wateringis et postea ibidem convivio, 18 junii, cum D. Francisco et Hustino de Haveskercke. Anno 1393, die xxvII augusti, fuit illuvies aquarum. Philippus princeps noster vidit et approbavit litteras Roberti comitis Flandrensis, mense septembris, Insulis, eodem anno.

D. præpositus noster videtur obiisse anno 1394. Instituta lis contra Dunenses pro dono sylvarum etc.

Magna iterum aquarum inundantia in julio et augusto cum damno Brukerorum. Eodem lata est Insulæ sententia desuper processum litis inter nos et Dunenses, et cecidimus causa. Dignitas porro et portio huius dominii nobis innotescit ex eadem sententia, ubi sic inter alia dicitur:

Iceulx demandeurs soloint avoir 111° mesures de heritaiges — qui estoit tenuz d'eulx — et avoint toute iustice et signorie de visconte et endessoubs et aussy bailly, sergeant, hommes, eschevins, juges et autres officiers ensemble toutte droits de entire ysseus ventes, reliefs et autres droits, et ceste terres tenoint pour lors 38 ou 40 personnes iusticiables et subiets à la loy d'icelle eglise d'Eversam lequelles desservoint leurs tenements iugoint à leur court d'icelle eglise d'Eversam, et lesdites cent mesures de terres estoint la tierche partye ou environ des heritaiges sur lesquelles la dite eglise d'Eversam avoit este fondee et amortie lesquelles ont este payez et na este depuis 11 ans ença quæ iceulx demandeurs ont refuse. — A Lile, le 1111 de novembre, M. CCC. XCV1.

Ubi nunc est ista iurisdictio? fallimur si putemus esse Diepezele, nam prorsus diversa est; et hæc de Diepezele tantum ad nos pertinuit post centum adhinc annos, ut constabit. Ex illis verbis clare colligimus hanc fuisse donationem Roberti comitis Flandrensis de Goudenoverd et Trist.

1397. Nonus præpositus Eversamensis . . . . interest cum cæteris membris wateringiæ negotiis diversis locis et temporibus.

1400. Jacobus de Haveskercke dictus Hustin, mortuus sepultus est in templo nostro et instituit perpetuum anniversarium pro anima sua et uxoris nimirum xv11 decembris et xv111 augusti pro uxoris anima.

1401. D. præpositus Eversamensis obiit ut colligitur ex verbis cuiusdam scripti.

Dominus Venantius Dammere videtur successisse et interfuisse, sed inominatus, primum wateringis anno 1402, sed deinceps decanus, non nominatus tamen. Mensuræ nostræ in mora noviter recensitæ a Vaerdilf usque ad aquas laci dicti moræ. Erant autem amplius vi metæ et ii lineæ, ut dicunt. F. Baldwinus Brant prior de Dunis retulit præposito nostro viii metas supra centum divenditas pro certa summa pecuniaria, 18 junii.

Præpositus noster coëmit à Walone de Conynk partem Sylvarum in Valckenbusch — xxxviii l. parisis. — 6 novembris anno m. iii<sup>o</sup> ix.

Princeps noster Joannes Burgundus declaratis limitibus, temporibus et iure quibus fruimur in Piscariis Flandriæ, Isaræ, Vleternæ aliarumque aquarum, mandat ballivo Furnensi ut iniuste inibi nos turbantes, addita etiam pæna, a malo compescat. — Insulæ 1x augusti, eodem anno.

Acquisita villa censuaria in Stavela vui metarum, aliorum nomine, eodem anno.

1416. Iterato facta est alluvies aquarum in julio ita ut fluctantia fæna obsteperent ostia de Niewendamme.

D. præpositus Venantius de Dammere obiit xxiv maii M. IIII<sup>c</sup> XIX, ut collegimus ex lapide sepulchrali.

Successit eodem anno D. Eligius Masin, vir bonæ vitæ.

1425. Hic contulit curam de Oeren cuidam clerico Morinorum, Joanni Knibbe, in julio dicens ius patronatus ad se pertinere etc.

1426. Hic præpositus divinitus admonitus suscepit reverendam Matrem

monialium 3 ordinis S. Francisci, sororem Elizabetham Everarts, venientem Dunkerka ad monasterium ad querenda ligna ædificando suo monasteria accomodata: sic namque illa acceperat a Domino in oratione elevata, ut iret Eversam ubi a præposito sua ligna acciperet, uti quoque accidit.

D. Jacobus van Huerne nomine filii sui D. Jacobi (quem habebat sub tutela) obtulit ecclesiæ nostræ ac consignavit censum quendam in Crombeka sub vierscharia situm, causa matris suæ Dominæ de Montigny sibi competem, 5 octobris M. 1111° xxx1.

D. Philippus de Haveskercke D. S. Flori, obtulit ecclesiæ Eversamensi nu metas et amplius terrarum in Polinchove pro exequiis animæ Dominæ Agn. de Merves, Dominæ van den Broucke ad primam diem maii, cuius sepulchrum in choro templi nostri est, anno M. 1111° XLVII.

1451. D. præpositus noster Eligius Masin, oriundus de Reningha, in Domino obiit x1 decembris et ecclesiam feliciter rexit xxx11 annos, iuxta quod habet eius lapis sepulchralis in templo nostro.

1451. D. Petrus de Broco successit in præposituram.

1453. Consensum ab iis quorum intererat liberum transmeandi iter in commodum nostræ domus sive villæ, quam in Loo habemus, post xenodochii agros, 29 martii.

Noster præpositus memoratur a Meyero interfuisse cum aliis ecclesiasticis dedicationi ecclesiæ monasterii Aldenburgensis, anno **m**. 1111° LVII.

V. D. Joannes Doom decanus nostræ ecclesiæ obtulit præposito totique conventui Eversamensi, vill terræ mensuras in paræcia Edwardi capellæ sitas, hac de conditione, ut iidem singulis annis celebrarent festa visitationis B. Virginis cum octavis, S. Bernardi et S. Elizab. viduæ. Proventus autem earundem applicati sunt infirmariæ. — In profesto omnium SS. anno Domini M. IIII<sup>c</sup> LXVII.

1467. D. Jacobus de Montigny ut supra, Com. van Huerne, D. de Altena, D. de Montigny, de Oosterwand, de Cranendoncq, transtulit donarium suum super memoratum, ecclesiæ Eversamensi xviii l. parisis, Flandricæ monetæ, annuatim. — Dedit idem dominus adhuc alia nostræ ecclesiæ.

Magna fuit aquarum alluvies in Flandria, pluente circiter vi vel vii hebdomadas integras, in hyeme, eodem anno.

Vicariatus Morinensis prædictorum festorum institutionem confirmavit, 1268.

Dominus præpositus noster Petrus van den Broucke e vita abiit: annus nescitur. Datus præpositus commendatarius Ferricus de Cluniaco ecclesiæ Eversamensi; lege anno 1495. Petentibus nostris per requestam (ut loquuntur) quo sibi liceret coemere arva terrarum aliobi, concessit princeps ad valorem 100 lib. parisis annuæ, anno M. III° LXIX, Gandavi. — Cuius litteris expeditis dederunt nostri ad taxatum Cameræ Insulæ, ante Pascha, II° lib. parisis. monetæ Flandricæ. 1470.

Obiit divinus pater D. Thomas a Kempis nonagenarius, autor liber de Imitatione.

1471. Dominus Balthazar van de Poele successit in præposituram Eversamensem; hic a D. Georgio Regis obtinuit pastoratum de Hoogstade, eodem Georgio ejusdem pareciæ curato in curia R. procurante: quem quidem ecclesiæ Eversamensi incorporavit D. abbas S. Nicolai Furnensis, jussu summi pontificis D. Sixti IV, anno 1472, in februario.

Itemque pastoratus ecclesiæ nostræ incorporatus ut supra, die 3 martii, nomine scilicet sancti Richarii, sub eodem bullæ tenore. Porro de his pastoratibus et de Oeren sub titulo altaris quid nobis debeant annue invenies in Rolla nostra de arvis et bonis monasterii.

1474. Amortizata bona ecclesiasticorum per Flandriam cum solutione 3 annorum proventuum ex iisdem. Nobis porro datum extractum ex Camera Insulæ super concessione princepis quod possemus nobis aqui-

rere census 100 libr. parisis annue, atque ita, credo, nos fuisse immunes.

Magna fuit aquarum alluvies in maritimis occid. Flandrensis 1477 in sept.

D. præpositus Balthazar obiit 13 maii 1478, successit D. Joannes van Vleterne. Agri recensiti et dimensi sub anno 1479.

D. præpositus Joannes memoratur curasse censeri, vel emetiri agros nostros sub annum Domini 1482. Sanctissimus pater D. Sixtus papa IV, e vita migravit, benefactor noster, anno 1483, is est qui jubileum post xxv annos fieri decrevit. Maximiliano principe nostro a Brugensibus detento sub annum 1486, fiebant multæ depopulationes tum a Germanis tum ab aliis, per rura, et oppida etiam ipso dimisso, crebrescerant; denique etiam in ecclesiasticorum bona et personas manus injiciebant, nam anno 1491, Germani secum captivos e monasteriis abreptos duxerunt versus Dammum, Dominos præpositos ecclesiæ Eversamensis et Loensis et ibi eos satis duro coarctarunt carcere, aliisque molestiis, donec tandem 111<sup>m</sup> florenos pependissent singuli; cujus summæ causa acquirendæ monasterii arva onerata fuerunt circiter x11 lib. Flandriæ, censu annuo.

1492. D. Joannes Baviers, canonicus Eversamensis, residuum summæ prædictæ, nempe c florenos, Brugas detulit, 12 januarii et sic fuit noster præpositus squalore solutus. Transmutatio quædam facta est agrorum in Polinchova, 1x julii, cum filiis Gryphienis Bampoels ex Hoogstada, in Polinchova.

1494. Rolandus le Febvre quæst. Flandriæ tradidit feudum Diepezele in manus Colardi de Vleterne nepotis nostri præpositi. *Een heerlickhede*, (ut habent litteræ) dat vermach hooyhe, middele en nedere justicie groot c xxx11 ghemeten bosch. Quod idem manutenuit 29 aprilis, eodem. Hoc autem feudum sive dominium D. Maximilianus princeps noster cum filio Philippo amortizavit, et dimidium summæ petitæ eidem ecclesiæ dimisit.

1496. D. præpositus isthoc feudum sub hobalivi Furnensis burgo levavit et agnovit. Habet autem sub se xıv subalterna feuda reliefvæ subalternæ etc.

1497. D. denique decanus ecclesiæ Eversamensis Hellinus Bommare fuit installatus primus quasi D., nomine conventus posito homine mortali ballivo, Joanne Guilberto.

Quidam Joannes van Noyse decanus in diocesi Carn. expostulavit a nostro præposito annatam præposituræ Eversamensis, sed nostro præposito negante nostram hujusmodi juri dando esse adstrictam ecclesiam, scripto idem qui supra proprio confessus est, Audomaropoli, dicto anno, et in posterum ab omni annata immunem esse declaravit.

Fuit ingens inundantia et vehementia cum tempestate fulminum, ac nimborum in mayo 1496.

D. præpositus curavit recensere agros nostros et arva 1498 et 99.

Carolus illustrissimus monarcha Gandavi nascitur, Flandrorum decus maximum, in februario, anno 1500. Eodem, decisa est lis in commodum ecclesiæ nostræ Bergis de 1v et amplius annuis super agro 50 metarum in Peteghem sito.

1501. Seculo hoc malo et miserabili ex multis tempestatibus addiscimus hoc:

# ADESSE FESTINANT TEMPORA.

1502. D. decanus noster invenitur scriptus in wateringis, itemque professus Joannes Bampoel 11 septembris levavit suum feudum. Non legitur amplius de eodem nostro præposito vel alio usque 1508, unde existimamus eum obiisse, nam vel decanus, vel religiosus leguntur curasse negotia monasterii.

1508. D. præpositus Oliverius Bouden successit et interfuit aquag. Eidem reliefvam fecit D. abbas de Dunis, 1509, oblato viro.

1511. Lis decisa est in commodum nostrum contra D. d'Oignes qui prætendebat jus in nostram Piscariam de Oost-Vleternes.

Memoratur D. Joannes Bampoel et decanus in aquag. 1513. Subsignavit D. Guilelmus de Pours, ut cellarius, quasi domum regebat. Invenitur ut decanus subsignasse aquagiis D. Colardus de Meestere, eodem anno. Hic fortasse ex affinibus, et consanguineis meis, Nicolaus namque vocabatur pater meus, cum eodem cognomine Meestere.

Carolus princeps noster supplicatione nostrorum atque solutione indictæ mulctæ, amortizavit (ut loquuntur) nostra bona. — 1517, stylo novo.

D. ac magister Hellinus Bommare decanus noster, obiit anno 1517, eodem stylo: facta est tempestas fulminum, ventorum, nimborumque et illuvies aquarum cum ruina domuum ac turrium etc. ipso festo S. Stephani, eodem stylo.

Maximilianus piiss. Cæsar, obiit 1519, princeps quondam gloriosus Belgarum.

D. Joannes Bampoele decanus noster videtur obiisse anno 1520, professus anno 1502. Hactenus religiosi hic hora 12 noctis, matutinas decantaverant, sed modo porrecta supplicatione episcopo suffraganeo Morinensi ut deinceps hora iv decantarent, conceditur, Bergis, anno vet. stylo 1521, in februario.

1522. Videtur constitutus decanus D. Colardus sive, Nicolaus de Meestere quod colligitur ex subscriptione in aquagiis. Noster præpositus interfuit anno 1523. Lis inter nos et alios mota de dominio Diepezele, decisa est ab arbitris, ut nimirum præpositus noster semel iterumque numeret hæredibus Vict. ab Isenb. (ad quem prius pertinuerat) c lib. Flandriæ. Et fecit noster præpositus dictis hæredibus. Ex scriptis autem codicillis colligitur Eversamensem præpositum fuisse una præpositum S. Martini Ipris, 1525. Videtur dictus præpositus obiisse anno 1525, nam invenitur interfuisse aquagiis D. Guilelmus de Pours anno 1526, cum nomine, signatura et titulo: hic videtur fuisse semper valetudinarius, et ejus vices egisse tanquam decanus, et coadjutor, D. Quintinus Caulier.

1530. Carolus V coronatus Bon. imperator Cæs. semper augustus, fit can. reg. Lateranensis. Facta est vehemens ventorum flatus et nocentissima inundatio in nov. eodem. Oblati sunt redditus nostro monasterio 3 metarum in Ghyverinchove, sub nomine Joannes Snouck, filii Gilberti, 22 aprilis post Pascha.

Erasmus Roterdamus canonicus regularis monasterii Steinensis, obiit 1536. Lis quædam data arbitris, nobis adjudicata est, tam ab iis quam postea a scabinis territorii Furnensis, anno 1537.

Tandem D. præpositus noster Guilelmus Pours in Christo obdormivit; sepultus est in templo nostro sub elata tumba cum epitaphio, anno 1538. Curavit fieri insigne pedum quod vocamus krøtse.

Hic existimatur fuisse valde humilis et submissi animi erga subditos, ut didicimus ex senioribus nostris.

D. Quintinus Caulier successit in præposituram eodem vel prædicto anno.

Hic vir fuit valde proficuus monasterio ac amans suorum religiosorum, nec minus honorans. Dicitur assumptus ad ordinem ex scopario conventus, ac ita gradatim per omnia officia ac dignitates, ad præposituram ob virtutem et ingenium pervenisse.

1538. Ex hoc anno et deinceps curavit refici domos et villas censuarias, vivaria, fossasque purgari per annos singulos, dumeta plura hic in monasterio, alnosque alibi plantari.

1539. Memoratur fuisse Furnis in festo S. Georgii in solemni introitu D. abbatis S. Nicolai.....

1540. Damnati sunt mulcta pecuniaria ab hoballivo Furnensi, turbatores nostræ Piscariæ. Auctio habita nostrarum sylvarum bis in martio, eodem.

1541. Solvit D. præpositus F. Guilelmus de Mamez, religiosus

S. Augustini apud Morinos pro parte decimarum de Staules. — Emta domuncula prope Lendemolam.

1542-43. Taxata nostra bona jussu regiæ majestatis ad 10, postea ad 11 nummum; redemit interim noster præpositus censum xix lib.

1542. D. Carolus vander Haghe canonicus, nomine D. præpositi, solemni aquagiorum conventui Ipris interfuit, et primus omnium articulis subsignavit: 2 decembris. Eodem fuit noster præpositus in exequiis Dominæ de Deizele.

D. præpositus curavit currum cum auriga usque Furnam, ratione exercitum provehendi, versus Arthesiam credo.

Item recognovit solvendo reliefvam (ut loquuntur) nostrum dominium in manu hoballivi Furnensis et in Crombeke, quæ adhuc visitur.

Fenestras in refectorio et atrio suo poni jussit. Fuit adjudicatum nostro conventui sententia judicii Furnensis emolumentum arvorum nostrorum in Lampernessa vi scripti quod vocant *Slaepere*.

Contulit elemosynam ad campanam de Fromelles D. præpositus.

Meta una cum LXXXIII virg. recuperata in Merkhem. Item redemit censum Jenino quondam defuncti præpositi cubiculario statutum, unius lib. Fl.

Sacrosanctum concilium Tridenti statutum, est incæptum. 1545.

Pestifer Lutherus ex monacho S. Augustini apostata, miseram efflavit animam. 46.

Acquisitæ vi metæ agrorum in Hoogstada, loco heredibus cesso, eodem.

1547. D. præpositus dimidiatam donavit in ecclesia de Crombeka fenestram cum alio; ubi videntur insignia utriusque.

1548. Item noster præpositus statutus est collator majoris capellæ in Hooghstada quæ pertinebat ad Petrum Baelin.

Eodem. Professus Joannes van Loo, religiosus Eversamensis.

Per requestam domini præpositi concessus esus lacticiniorum nostris inquilinis, item servitoribus vernaculis et ovorum, temporibus ipsis

quibus alias prohibitus est, excepta quadragesima (pro ovis); 3 kal. maii. In litteris certe ne verbum quidem est pro religiosis.

1550. Cornelius van Oosten cum aliis, mulctatus est juridice, quod in fluvio piscarentur contra voluntatem nostram.

1551. Decisa lis in commodum nostræ ecclesiæ, de xLIII gr. annui census, qui census repræsentabat capellaniam clostri de Eversam, quem quidam detrectabant in West-Fletera super VIII vel amplius metas. Noster itaque decanus et conventus demonstrarunt eum nobis competere quod hactenus ab immemorabilibus temporibus ejus causa, ut tenebantur, legerint vigilias et missas pro defunctis. Reus igitur nomine Nicol. Nicolai, lata a senatu Furnensi sententia, damnatus fuit. Hac fortasse de causa dicunt pauperes West-Fleterenses nos illis debere singulis hebdomadibus, certos numero panes.

Noster præpositus cum reliquo taxatur clero, jussu Cæs. majestatis, Taruanam obsidentis, eodem. Cæsar expeditis litteris, ex nostra supplicatione severe inhibuit, statuta pæna, ne ullus in nostris aquis piscaretur, eodem in octobri. Eas apparitor diversis temporibus et pagis post missam publicavit. Redditus annui frumentorum mutati in pecuniarios, per arbitros hinc inde sumptos: et dum afferunt, dandus illis honestus victus. Michael Pit mulctatus est pæna quod piscari ausus fuit, eodem. Teruana Morinorum metropolis invasa, deleta, anno 1553.

1554. Facta permutatio (vulgo *laghe*) consensu vicarii generalis Morinorum, terrarum inter D. past. S. Richardi et D. vander Gracht etc. fer. 4 post Misericordiam.

Eodem. Obiit D. præpositus Quintinus Caulier, 8 maii; podagricus ut mihi videtur, fuit vir valde gnavus in negotiis domus, cujus causa jam adhinc multis annis multis perfunctus est laboribus; de hoc ex omnibus (quos quidem vidi), agunt anniversaria domini Loensis 3 februarii, et denique sic scripsit in martyrologio nostro reverendus dominus noster præpositus Jacobus van der Beke: obiit piæ et sanctæ

memoriæ D. Quintinus etc. curavit aliqua ornamenta ecclesiæ simul et cæpit portam aquariam. Denique honorifice de se, deque suis loquebatur ac scripsit per titulum convenientem.

Successit D. Rogerius Trier antea cellarius, inde pastor, tandem decanus: electus unanimi omnium, voto cui D. Joannes a Loo presbiter, hoc anno facto poëmate, congratulatus est, quod sic incipit: *Huc agedum musce* — . . . . . cum hoc chron:

QUESO CALIXTE FAVE NOSTRO PRÆGRATE TRIERO ConseCrat hUNC nobis LUX tua prepositum.

Primum aquagiis interfuit, et repetundis subsignavit, in jul. 1555. Is oblato libello supplici vicariis ecclesiæ Morinensis, obtinuit abrogationem precum institutarum, ex animo et libitu præpositi, quæ erant valde graves et tædiorum plenæ. Anno 1555, 5 decembris.

Denique, ut breves sunt dies honoris, D. Rogerius dum gnaviter intendit tum reparandis, tum efficiendis rebus monasterii, inopina morte suffuratus obiit die 26 maii, anno 1557. Hic quidem suos decanum et cellarium cum aliis ad pacta vocabat, sed sine nomine. Unde fit ut quisnam decanus fuerit, scire nequeamus: opinamur tamen fuisse D. Jacobum van der Beke.

Curavit fieri holoserica rubea indumenta tum altaris, tum ministrorum ejusdem, multum pretiosa, ut ex anno 1556 constat. Portam quoque aquariam, in qua sursum, eius insignia videntur, curavit, itemque fenestras in refectorio nostro Ipris, in quibus etiam eadem videntur, cum hoc dicto QUID RETRIBUAM? alibi etiam advertimus.

Eodem. Substitutus est ei juvenis sæcularis et præpositus commendatarius, sed sine habitu et professione brevi dignitatem cum mundo reliquit. Eodem anno sepultus est in nostro templo cum epitaphio cuius nomen erat Joannes Nigri: dictum autem: — Candida de nigris. Pulvis in hoc...

D. Nicolaus Schatse antea cellarius et pædagogus, dictus juvenis, bonorumque administrator, in præposituram successit: invenitur nimirum primum aquagiorum repetundis interfuisse 28 julii, eodem anno. Taxatum nostrum monasterium ad subsidia necessitatum patriæ ad summam 111° florr. eodem.

Venit rex Philippus ex Anglia per Bergam, Ipram, ubi pernoctavit. Devastatus ager et tractus West-Flandriæ usque Hontscote a Gallis 1558.

Carolus Cæsarum max. obiit: princeps Belgarum, Flandrensis comes et civis Gandavensis, potentissimus ac pientissimus monarcha fato cessit. Sedes episcopalis Ipris erecta est a Paulo P. IV in maio 1559.

Redditus nobis concessi in Polinchove XII lib. parisis super VI metas terrarum, sitas noortovere an't Marie-stratken, eodem.

In Fromellis recensitæ metæ agrorum pertinentium ad presbiterium pastoris inventaque ni fallor, 1111° bonaria et amplius, eodem.

# DEINCEPS SUB ARCHIEPISCOPATU MECHLINIENSI ET EPISCOPATU IPRENSI.

1560. Desiit potestas archiepiscopi Rhemensis, et episcopi Morinensis in Flandros: quoniam D. Anthonius Perenottus factus est primus archiepiscopus Mechliniensis 1560, et paullo post D. Martinus Rythovius primus episcopus civitatis Iprensis, anno 1561, die S. Martini episcopi.

1560. D. Joannes a Loo ut cellarius totius domus quasi solus curam agit, et juventutem tum litteras tum mores docet: domino præposito interim quasi anachoretam agente, ita namque eum existimo salutari a Sylvio scribente ad dictum Joannem: reverendissimo D. anachoretæ vestro, dominis decano etc. salutem. — Quid tamen eo titulo velit ignoro.

D. præpositus Nicolaus ex hac vita migravit initio, ut colligimus, anni 1562. Altare majus in templo construxit estimatione pretiosum, sub quo se condi voluit plumbea tumba: itemque pone posuit sedilia ministrorum altaris ex marmore lydio etc.

Successit D. Joannes Loæus 13 septembris, primogenitus a reverendissimo episcopo Martino, qui anno 1561 solemniter in Ipram introierat, consecratus est. Iuxta chron:

NEQUANDO SATHAN UT LEO RAPIAT ANIMAS NOSTRAS.

A festo autem S" Bavonis solvit pensionem annuam vi<sup>c</sup> florr. D. Joanni Snik, primo decano cathedræ ecclesiæ Iprensis, cuius fuerat præpositus.

Memoratur et decanus D. Jacobus van der Beke in wateringis initio 1563. D. Nicolaus Pourtius interfuit in iisdem cum aliis membris constituendis regulis. Finitur sanctum Tridentinum consilium 3 decembris.

NON DELINQUENT OMNES QUI SPERANT IN EO.

A quo noster reverendissimus episcopus Martinus pius rediit Ipras.

1564. Primus, ut opinor, ab hoc præposito est indutus habitu nostræ religionis, Franciscus Boet, Ipris 15 julii.

IN LOCO PASCUR IBI ME COLLOCAVIT.

Eodem. Mortuo D. Augustino Bardmakers de more invitantur

Loënses 'religiosi ad exequias, 13 martii. Quidam turbatores nostræ piscariæ mulctati.

1566. Lis quædam decisa Furnis a senatu, in commodum ecclesiæ nostræ de v lin. terrarum. Eodem, orta est denominatio hominum Geuseorum Bruxellis, qui post hac miseranda clade Belgium devastarunt, quam nostrum monasterium cum reliquis sustinuit: nam ii ipsi summo fragore tam quæ in templo nostro quam alibi, omnia devastarunt, ut præpositus cum grege suo ad tempus sedem mutare cogeretur, in augusto, non obstante mitigatione habita Gandavi, x maii, ubi tum noster præpositus cum reverendissimo nostro fuit.

Eodem. Mense septembris dedit noster præpositus Egmondano petenti cum deputatis Iprensibus, vui<sup>c</sup> florr. ad tutelam (scilicet:) totius cleri, pro militibus.

1567. Conventus cum præposito, lata a reverendissimo Iprensi sententia, adjicere debuit proventui domini pastoris de Polinchova ratione decimarum, pro sua quota, v lib. annue. Recenter jussa emetiri arva capellaniæ Eversamensis in Merkhem.

Decisa lis in commodum nostræ ecclesiæ, de decimis agnorum et porcorum contra Polinchovinenses, 1568. Verosimile est religiosos rediisse ad clostrum. Impetravit noster præpositus *saufgardam* clostri a duce Albano, et milites aliquot, armis (quæ adhuc nos vidimus, anno 1612) illud servabant hîc in præsidio consistentes: eodem.

Curat suos novitios mitti et institui in seminarium recens institutum Ipris, eodem. Circa hunc annum suscepit decreta concilii Tridentini simulque novis R. E. breviariis se conformavit D. præpositus cum conventu: 1569. Taxata omnia nostra arva a deputatis Aulæ ad centes. xx, xque nummum in quibus, sub Stavela, memoratur den grooten, den kleynen hem: unde diximus derivatam nomenclaturam nostri monasterii Eversahem. Reverendissimus D. proposuit articulos reformationis Eversamiensis quos et stricte observari mandabat, sed nonnulla erat dissensio in nov. 1569.

Sed iterum moniti acrioribus litteris ab eodem reverendissimo præeunte

D. præposito, cæteri dictos acceptarunt articulos, quos quidem a nobis nunquam visos arbitramur annullatos.

1570. Ad synodum Mechliniensem vocatus ivit cum abbatibus et præpositis diæces. x junii.

Eodem. Reverendissimus D. Iprensis, data sententia, mandat ut præpositus et conventus ecclesiæ de Loo de cætero pendant dimidium supradictæ pensionis, in aprili.

1571. Deinceps xx nummus ac x ex bonis nostris solvuntur ex jussu ducis Albani. Qua de causa per Belgium tot orta dissidia, bella, cædes, rapinæ ac demum aversio plurimorum a suo principe Philippo, imo et a Fide et ecclesia; quamquam postea et ii Hollandis v nummum pependerint, ut dicitur.

1572. Ex prece denuo alia summa data Albano une lib. parisis.

Eodem. Mandat reverendissimus per dominum præpositum matutinas decantari preces media nocte, ita namque jussum a regia majestate sibi, scribebat:

 Taxatum monasterium nostrum pro sustentatione seminarii Iprensis
 per 12 annos. Iterum taxata omnia nostra arva et census, et singulis personis præposito, religiosis, templo, pauperibus etc. recensita taxa, cætera tollebantur ad necessitatem patriæ, pro sustentatione exercitus.

Orationem habuit D. præpositus de sua ad prælaturam assumtione, ubi plæraque notatu digna leguntur. Item invitatur a S. P. Q. Brugensi ad amburbialia. S. Sluperius compositum a se hortum Earinum totumque libellum offert D. præposito, anno Domini 1574. Ipso Emerentianæ die fuit ventus validus ideoque nocivus. Anno 1574, Theatrum Orb. terrarum accipit præpositus a Nansio: et Agnum Dei a Petro Dammio. Erat D. Præpositus Ipris in septembri, et in octobri Slusis et Brugis, credo 1574. Curat D. præpositus ex cohortatione R<sup>mi</sup> D. Ipris reimprimi Viexm. de pænitentia. Pestis grassatur per Flandriam ab hoc anno et deinceps.

D. præpositus noster invitatus adfuit divortio canonicorum S. Walburgis

a sua ecclesia ad Iprensem, initio prorsus anni, cum D. abbate S. Nicolai Roberto, et subsignavit Franciscus Meestrius pensionarius Bergensis vel Furnensis a se versam Parenesem S. Basilii versibus ad præpositum dedicatam misit kal. maias, cum aliis, eodem. 1575. Quam quidem cum gratiarum actione acceptam misit examinandam D. Francisco Hæmo. Item hoc anno solutus x nummus.

Eodem. Erat D. præpositus Ipris in septembri, unde suos epistola commonefacit.

Eodem. Expressis a reverendissimo Iprensi vocatur litteris D. præpositus vel decanus cum seniori conventus, sed causa tacetur, 24 nov.

1576. In januario magna fuit tempestas ventorum et impetus, quo evulsæ annosæ arbores, turres, domusque dejectæ.

Eodem. Reverendissimo domino exigenti num matutinæ preces media nocte cantarentur, datis et signatis litteris, dominus præpositus se cum suis obtemperaturum quantum omnium valetudo permitteret, 24 februarii, respondit.

Eodem. Ingens aquarum alluvies valde nociva fuit 8 maii: ferunt autem nostri vicini tantam fuisse aliquando inundationem ut foret iter liquidum navigabile hinc usque Molam Stavelensem: imo quidam seniorum addidit utendum fuisse scapha ad altare in templo et in ambitu: sed nescio an hoc anno, an vero alio quondam sæculo.

Eodem. D. præpositus Loënsis intenta lite nobis pro medietate pensionis deinceps retrectat solvere, supplicatione exhibita in curia papali.

Eodem. D. Joannes Inghelbert pastor de Fromellis, vir doctissimus, scribit ad R. D. præpositum se vocatum ad synodum Attrebatensem et interfuisse loco D. præpositi de Eversam.

Eodem. Cogitabat 11 bursas fundere in colleg. Marchian., sed ob injurias temporum prohibitus fuit D. præpositus noster.

Eodem. Pro prece iterum per principem agitur a toto clero: cui satisfecit D. præpositus.

Eodem. Gandavi facta convocatione cleri et populi Flandriæ videtur inter alia statutum, ut omnes sua argentea artificialia conferrent ad deputatos status Belgii quasi prætextu mutui. Itemque facta pacificationis Gandavensis confirmatio cum juramento.

1577. Dominus præpositus dolens scribit cuidam de auferendis vasis sacris destinatis ecclesiæ. Ex hac et aliis rebus incipit et recrudescit seditio in Belgio, nam ubi totum emulserunt tunc fæx populi reliqua deglutiet: sic ex chro. vestitur fiscus.

1577. Tradita igitur sunt argentea vasa, thuribula, candelabra etc. Templi clenodia, deinde et mensæ (præter aliam summam pecuniariam): quæstori Vuern-Ambacti Jud. Wechsteen vere dolenter dixit modernus præpositus: iam video argentum nostrum vere verti in scoriam.

Eodem. Ingens iterum ab hominum memoria nec visa nec audita aquarum alluvies. Iterum solutus x nummus.

Reverendissimus dominus visitationem per suam diec. agens, etiam Eversamum venit et quædam format et reformat præmisso suo officiali; sed quænam hujusmodi sint, ignoramus.

Eodem. D. præpositus de Loo causa cecidit. Præposito nostro mittitur epistola Erasmi ms. a Paulo Steelant Gandensi. Indicto Gandavi cleri conventu noster præpositus etiam vocatus non interfuit excusatus (bono omine) morbo suo podagrico; in eo reverendissimus noster et alii primates capti fuerunt.

Eodem. Ipris deinceps quasi securius, moratur præpositus noster; rediit tamen in decembri.

1578. Paullo post denuo Ipram ivit quasi ibi a metu respiraturus; at Ipra capta a Gandavensibus in julio, captus est ac in urbe detentus, cum licencia tamen subinde excurrendi ad suos: et venit in dec. et tunc dispersi religiosi abiverunt, sicut quidam scripsit. — Nos patriam fugimus etc. — 1578. Interim Eversam inhabitabat ballivus noster, sed diripiebantur omnia.

1579. D. præpositus noster a  $\mathbb{R}^{m_0}$  D. auctorizatus agit curam ejus nomine, totius diec. ut ipse præpositus scripsit. Denique in junio monasterium exuritur. Expilationi omnia patent. Cadaver præpositi sub altari summo humatum, extractum et spoliatum omni quod arridebat. Non male quadrat versus psalmi 79.

> EXTERMINAVIT SUOS APER DE SILVA: - 4378. Et singulars ferus Depastus est eaM. - 4566.

Insequens ductor Geuseorum D. de la Noue venit in Stavela ad defendendos ruricolas qui e vi vel amplius pagis vicinioribus, ad monasterium confugerunt ita ut his miseris ambitus totumque claustrum plenum esset, quos G. Tayhals Bal. noster cum milite custodiebat, ac nonnullos cibo refocillabat.

1580. D. Joanni Humaet canonico Eversamensi bonæ vitæ et conversationis, dicenti in missa sua: Dominus vobiscum — ingressi in sacellum (in Morbeke) responderunt Geusei; *pape, klavers es trouf:* atque eum mox de altari tractum avexerunt usque Ipram ad præpositum; ubi sacrilegis, soluto lytro, liber evasit in septembri: dicat cum psalmista:

## EXALTABO TE DEUS MEUS REX.

Terræ motus fuit in Belgio et Gallio in apr.

1581. D. præpositus adhuc agebat Ipris inter sectarios.

1581. D. J. Humaet Ariæ agens epistola ad præpositum missa lætabundus cantat misericordias Domini, etc. gratias agit eidem præposito pro redemtione sua.

1582. Grassatur omne malum, pestis, hæresis, fames, rapina, cædes.

Eodem. Videtur etiam D. præpositus urbe carcerali dimissus et Audomaropoli fuisse, saltem sequenti anno fuit ibi ob epedimiæ morbum.

1383. Inscribuntur præpositus et religiosi cum illo morantes sodalitio S. Rochi: hoc morbo obiit noster episcopus Martinus ibidem.

1583. Item ex peste obiit D. Joannes Inghelv. pastor doctissimus de Fromelles, qui antea captus a grassatoribus magno pretio et sumtu suorum parochianorum (ita namque amabatur) redemtus fuit.

1584. Interim Ipra dudum obsessa, tandem dedita principi Parmensi, rediit D. præpositus ad refugium cum suis religiosis et paullo post, malesuadus cum injuria conventus, resignavit jus et curam ecclesiæ de Fromelles in manus R<sup>mi</sup> Attrebatensis sine capitulari omnium religiosorum præhabito consilio aut consensu, tametsi ab eodem appensum litteris donationis sigillum conventus cum suo; mutatur pastoratus in prioratum.

1585. Reverendissimus D. Symons Ipram ut episcopus, ingreditur solemniter in januario, cum ingenti catholicorum civium lætitia et Geuseorum confusione. Porro pænituit mox D. prelatum nostrum supradictæ resignationis, ac nisi dissuasus mox repetivisset.

1594. Tandem D. præpositus Joannes Loeus vir insignis ingenii et diligentiæ, vitam caducam cum æterna permutavit podagricus, 13 octobris; sepelitur Ipris in S. Nicolai; scripsit epistolas, orationes etc. Syntaxim tantum audierat, et tamen poëmata condebat; de omnibus colloquebatur inter doctos, denique eum inter viros illustres posuit doctissimus Marchantius in FLANDRIA: philosophum appellarunt eum et ut mecenatem coluere plures doctissimi viri, et eidem sua scripta dedicarunt.

1595. D. Jacobus van der Beke succedit in præposituram 15 febr. 1596. Sub eo primus profitetur J. van Welsenes Halewinensis, antea defuncti cubicularius, in tempore Paschali.

1598. Incæpta lis contra episcopum Attrebatensem pro cura de Fromelles, constituto per nuncium Belgicum judice primo episcopo Iprensi, ubi ventilatur.

1599. Is in april. litteras citatoriales expediri facit ad dictum episcopum Attrebatensem.

1599. Illustrissimus princeps Albertus, contractis nuptiis cum Isabella Cl. Eug. Hispaniæ infante, fit absoluta auctoritate, princeps Belgii, antea tantum gubernator erat, et præclara exhibuerat facinora Caletum inopinato, Hulstum, Ambianum etc. intercipiendo.

1600. Auditæ depositiones et informationes superstitum religiosorum nostrorum de alienatione juris patronatus ecclesiæ de Fromelles, in quibus omnes (erant autem D. Joannes Humaet decanus, D. Ludovicus Ryfflart, D. Max. Mattart et D. Petrus Colve) testati sunt quod dictus præpositus Joannes a Loo sine causa, et consensu capituli, dictam curam de Fromelles donaverat reverendissimo episcopo Attrebatensi: cum essent religiosi ad pastoratum idonei, ut pote lingua et natione Artcsiani.

1602. Mortuo uno alteroque episcopo Attrebatensi nullus in lite processus habitus.

1605. Mortuo episcopo Iprensi Petro, Carolus succedit in junio, 1607.

1607. D. Caraffa nuncius apostolicus in Belgio concedit indulgentias orantibus, pænitentibus ac V. Sacramentum sumentibus ad imag. Deip. V. Aspricollensis in sacello nostro existentem refugii Ipris.

1608. Exorta de vestitu trium monasteriorum can. reg. Formosellensis, Loënsis et Eversamensis difficultas est; nitebatur D. episcopus Carolus et post eum successor D. Joannes dictos canonicos cogere ut tam extra quam intra clostrum, in albis incederent, uti faciunt alii ex capitulo Windes. sed quod contradicerent, nonnulli capti, alii excommunicati: sed brevi absoluti.

Pactis cum hollandis induciis eodem anno reedificari ceptum clostrum Evershamense (nam hactenus Ipris in refugio habitabant) et primum lapidem posuit Arnoldus ballivus noster, nomine domini præpositi, vi octobris, anno m. dc. ix.

1611. Tandem tota difficultas sopitur jussu illustrissimi D. archiepiscopi Mechliniensis de mutatione habitus nostri, ut episcopus nimirum omnia sinat in statu. Et factum est ita usque nunc.

PORTATE DEUM IN CORPORE VESTRO.

Eodem. Venerunt tandem ad incæptum monasterium D. decanus et alii, in junio.

Eodem Die festiva (quod felix faustumque sit) sanctissimi P. August. primum celebratum est sacrosanctum missæ sacrificium a D. decano nostro presente reverendo domino præposito nostro Jac. van der Beke, venerandæ canitiei viro septuagenario, et aliis, in loco sive domo quæ erat olim refectorium æstivale, iuxta hoc chronicon:

## PSALLITE DOMINO QUI HABITAT IN SION.

Eodem. Ego in novembri ad monasterium inter novitios mansurus veni et cellulam parvam inter eosdem lætabundus accepi; pro qua gratia, divinæ bonitati non sum solvendo; ut tamen perseverare possim, eandem oro,

#### BENEDICAT NOS DEUS, DEUS NOSTER.

1612. In die S. Anthonii abbatis, ego vestitus sum S. habitu religionis per manus D. decani, primus quidem a ruinis in hoc clostro.

Eodem. Reverendissimus dominus visitans suam diec. nostrum claustrum pertransiit ob prædictam, credo, difficultatem. Quatuor oves a lupis intra claustrum voratæ.

1612. Cogitatum et factum a nostris pro electione coadjutoris in sublevamen D. præpositi, semper podagrantis; et omnia ferme suffragia favebant D. decano: sed non placuit principi nostro Alberto, expectandum duxit post mortem.

Eodem. Pro festo Ascensionis Domini intravimus dormitorium nostrum. Et paullo post ante festum sanctæ Pentecostes sacellum infra dormitorium. Professi IV primi novicii diversis mensibus. Sit benedictus Deus, qui

## DAT ESCAM ESURIENTIBUS.

1613. Ego professIoneM egI seCUnDa febrUarI, Ipris.

Eodem. Reverendissimus D. Joannes episcopus Iprensis e vita lethargia abreptus est, vir zelosus ad animarum salutem prædicando verbum Dei.

Eodem. Reverendus quoque noster præpositus Jacobus e vita migravit, 9 decembris, sepultus est in S. Nicolai Ipris, podagricus et octogenarius.

1613. Fuit vir ille domui valde proficuus. Censum domus nostri refugii solvendo totum redemit. Sylvas etiam nostras auxit, calicem curavit, itemque tabulas depingi, aliaque ornamenta tum altaris, tum ministrorum eiusdem; pacis erat amator, non minus pius quam doctus; reliquit aliquot a se conscriptas conciones vernacule. Denique fertur de illo quod suos consanguineos pauperculos permiserit, imo jusserit venire ad januam suæ domus ut cum aliis eleemosynam acciperent; uti factum fuit.

#### FERTO VIATORI DOCTE VIATOR OPEM.

Epitaphium composuit G. Joets.

1614. Successit ei D. Joannes van Welsenes nostræ ecclesiæ decanus, divina potius dispensatione, quam humano favore, nam totus consiliariorum senatus alteri favebat: suffragia religiosorum pauca volebant; rogatus (ut fertur), existens decanus, a domino Anthonio de Hennin, pastore tum S. Nicolai: bene, quondonam eris prælatus Eversamensis? mox eodem lepore respondit, quando tu eris episcopus Iprensis. Et revera hic octiduo post consecrationem suam episcopus Iprensium venit illum consecrare prælatum Evershamensem.

Eodem. Itaque episcopus pridie veniens Eversamium cum processione, amplexum, ut moris est, ac hymno TE DEUM LAUDAMUS, a nobis in sacellum introductus est. Et postera die ab eodem consecratus est juxta hoc chron. duorum Loënsium:

> EN NIVEO MAIAS PHEBO REFERENTE KALENDAS, EGREGIO PRESTANS ROBORE PRESUL ERIS,

Eodem. Primus a ruinis hic profitetur Joannes Woulters S. Winnoci-Bergensis, 13 maii. Cæperunt religiosi excolere, ac in hortis sibi distinguere locum, quem nominamus Motam, olim decaniam nominatum.

1616. Ivit D. præpositus noster cum sacellano Furnam ad inaugurationem abbatis S. Nicolai, nomine D. Christiani Druve Neoportuensis.

Eodem. Lis renovata ac reincæpta de cura Fromelles, mense sept. Constituit sibi in decanum D. præpositus Jac. Winnebroodt, pastorem sancti Richarii; religiosis iam e studiis reversis, 1 octobris.

Eodem. Primus hic primitias missæ Deo obtulit D. A. Woulters, qui super renominatus in Augusto iam dispensator alio anno constitutus.

Eodem. D. præpositus ob cuiusdam parochiani insolentiam tanquam verus ecclesiæ S. Richarii patronus, sedem suam posuit ibidem in primario templi loco, circa natale Domini, solemni hymno *Te Deum laudamus* introductus.

1617. Kal. martii posito primo lapide, reædificatur ambitus supra antiqua fundamenta.

# HABES QUANDO CEPTUS SIT AMBITUS.

1618. Perfectus est ambitus post festa Paschalia cum picturis. Quatuor religiosi diversis temporibus inter quos et ego indignus (3<sup>o</sup> vel 4<sup>o</sup> Dominica post Pentec.) sacras missæ primitias Altissimo obtulimus.

IN TE SPERAVI NON CONFUNDAR IN ÆTERNUM.

Eodem. Decisa est lis de cura Fromelles in favorem nostri monasterii, tertia die novembris. At appellatum est in curia Iprensi.

1619. Ivit dominus præpositus Insulam et ego cum illo, quasi capellanus assumtus, ad exequias sui patris Judoci, qui obierat pridie ni fallor, natalis Domini; redivit altero anno.

1620. Vidimus hic in Eversamio bis terve lucere cometen.

Eodem. Parta quoque divinitus victoria duce Carolo Bucquoyo Attrebato contra Fredericum Palatinum, cæterosque fautores in Germ.

1621. Cæptæ et perfectæ sunt latrinæ religiosorum. Itemque allata sedilia chori, aliaque templi sive sacelli nostri ornamenta. Erat tum hic simia quæ aversabatur femininium sexum, nobis tamen et pueris benigna. Eam post habuit D. præpositus Vormezelensis.

1621. Princeps noster cognominatus et vere Pius ad vitam transivit meliorem, 13 julii; in S. Gudulæ Bruxellis, sepultus juxta hoc chron.

ALBERTUS PIUS BELGII DOMINUS OBIIT.

Eodem anno obiit summus pontifex Paulus V, et rex noster Philippus tertius.

Eodem. Præpositus noster reconciliavit cæmeterium nostrum, primum ambitum et hortum intermedium, et similiter sacellum, nobis presentibus, in octobri.

1622. Domus ædificata quæ dicitur infirmaria versus orientem, in aprili. Eodem. Bona domina-mater mea (solent namque Flandri matres sacerdotis vocare dominas [vraw-moeders] quasi mulierem-matrem, sicuti Christus appellavit suam matrem mulierem) Joanna f Petri Horneweghe obiit<sup>-</sup> in Domino, 1 maii, ipso Ascensionis Domini festo: cui nunquam sum solvendo.

Eodem. Admissus est sub nonnullis conditionibus Hieron. faber lignarius, Brabantus, laicus, in sæculari habitu, sine votis in perpetuum, qui industrie domos, dormitorium et templum fabricavit.

1622. Invisit nos, ut alias sæpe, D. abbas S. Bertini, Guilelmus Loemelius, gratus hospes nostro præposito, qui paullo post subito obiit.

Eodem. Consecratum item altare sacelluli nostri in hon. S. Augustini a reverendissimo domino episcopo, qui hic etiam dedit sacramentum confirmationis.

Eodem. Ipram ivit D. præpositus cum capellano suo et me ad bea-

tificationem S. matris Theresiæ, ubi ei celebranti in missa et in processione sacros. corporis Christi tabernaculum sub baldachino portanti adstitimus cum jubilo.

Eodem. Itidem cum eo fuimus Ipræ in beatificatione S. Theresiæ de Villa nova, sed celebrabat tunc sacrum etc, Reverendissimus dominus episcopus Iprensis, apud Augustinianos. Credo eodem anno præpositum nostrum fuisse invitatum ad sanctificationem SS. Ignatii et Francisci Xaverii a fratribus societatis Jesu, sed non ivisse.

1623. D. Georgius de Carpentier pastor in Hoogstada, vir doctissimus, quondam huius ecclesiæ et Formesellanorum præpositorum competitor, e vita hac misera ad feliciorem migravit. Scripsit quædam opuscula: jacet sepultus in ambitu nostro circa gradum dormitorii. In loco ejus substitutus est pastor D. decanus noster Jacobus Winnebroot.

Eodem. Lis inter nos et Loënses canonicos orta est ob decimas nostras in Polinchove sitas. Item purgata magna piscina hortos inter nostros, Motam et domum præpositi sita.

Eodem. Item cæpimus legere psalm. Usquequo etc. post compl. in dormitorio. D. Ger. Jonchere factus est pastor in Polinchove, in adventu.

Eodem. Item tradidit noster præpositus cuidam clerico huc venienti, litteras pro presentatione curæ de Oeren.

Eodem. Consensum quoque ab omnibus, monente domino præposito, jejunium per totum annum, singulis feriis sextis, sive festum sit sive feria.

1624. In quadragesima cæpimus omittere offic. deff. ferr. IV et VI.

Eodem. Quidam Andreas Platevoet sua factione nos aliosque ecclesiasticos vexavit in succidendis nemoribus nostris; sed ostensa necessitate et exemtione, monasterii procuratore generali huc misso, silentium ei impositum fuit.

Eodem. Item mense julio cæpimus hora 5<sup>e</sup> vesp. convenire in Refectorium ad collationem sive lectionem spiritualem, quam antea ad cubicula secedentes singuli faciebamus.

Cæpimus jejunare toto adventu et abstinere a carnibus.

1625. Festo S. Sylvini est constitutus in decanum D. Jacobus Pieren. Eodem. Item sancitum in capitulo presentibus decano et canonicis ut deinceps persolveremus offic. deff. III lectionum missam et commendationes pro patre et matre religiosorum professorum et factum hactenus. Statutum præterea in capitulo ut pro canonico fratre defuncto, quilibet sacerdos celebraret v missas: non sacerdos legeret psalterium Davidicum præter alia, et 7 psalm. et xxx missas.

Eodem. Obiit D. Petrus Timmerman Winnoci-Bergensis, quatuordecim per annos apoplecticus: primum dissolutioris conversationis, sed Dei gratia tractus per undecim plus minus annos variis pænitentiis, abstersit maculas criminum jejuniis, orationibus, ciliciis continuis sive quotidianis etc. servatus creditur a diabolica potestate quod in vita ista dissolutiore, solitus esset jejunare pane et aqua diebus sabbathi in honorem Matris-Virginis MARIÆ. Saxum, quo pectus suum, cum psalmum *Miserere* legeret tundere consueverat, penes me est, præ usu levigatum. Ex lectione opusculorum D. Joannes Ruysbroeck super resignatione voluntatis in voluntatem Dei, conversus fuit. Iacet sepultus juxta latus matris suæ in angulo ambitus, versus meridiem, 18 aprilis.

Eodem. Fuit ingens et periculosa aquarum illuvies per Fland. circa fest. S. Joannis-Baptistæ. R. P. Juvenalis de Bergis S. Winnoci capucinorum provinc. guardianus, Roma reversus hic divertit, et cuidam religioso febricitanti ut pedetentim convalesceret, impertiit gratiam.

1626. Relicto refectorio antiquo ad aliud subter dormitorium paratum descendimus in januario, die 18.

Eodem. Cæpimus legere post prandium psalm. *miserere* vel alium, eundo ad nonam legendam in sacellum.

Eodem. Quod portus Flandrensis oceani jussu principis essent clausi mercium negotiationi cum Hollandris, non nihil angebamur de victu quadragesimali: sed ecce omnem sollicitudinem projicientes in Deum,

quoniam ipsi cura est de nobis, piscantes in nostro Fl. Isara, uno tractu retis maioris, prendidimus innumeram piscium minorum multitudinem: nam præter provisionem nobis necessariam per duos et amplius menses, præter adhuc alios ad amicos huc illuc missos, datosque pauperibus, vendidimus quatuor et viginti corbonas, ex quibus confecimus amplius XII lib. Fland. non quidem lucrandi, sed adjuvandi proximi gratia.

# EXALTETUR DEUS SALUTIS MER.

Eodem. Ædificatæ domus duæ censuariæ, prima ad molam nostram, altera in Stavela, quam rubeam vocant, ob tegulas.

Eodem. Venerunt huc duo canonici cathedræ ecclesiæ Iprensis pacificandi religiosos cum præposito gratia, in junio In juliio frumenti caritas.

Duæ moniales e clostro sororum 3 ordinis S. Francisci Dunkerkæ, hic existentes narraverunt insignem et indelebilem apud ipsas esse memoriam Eversamensium, tanquam singularium benefactorum, eo quod quidam præpositus (de quo supra) donaverit eis ligna parata ad tecta templi et refectorii earum etc. mirabili divinæ bonitatis favore præmonitus de adventu sororum earundem matris Virginis sanctæ.

Eodem. R. D. Iprensis diem obiit extremum die S. Andreæ: pro cujus anima persolvimus offic. 111 lect. missam et commend.

1627. R. P. Bernardus (alias Nicolaus) Philippet nostri quondam can. monasterii, obiit in Domino Brugis capucinus, 21 februarii: pro cujus animæ refrigerio persolvimus offic. deff. ut supra.

Eodem. D. Petrus van der Tombe litteras a domino præposito petiit et obtinuit presentationis ad pastoratum de Oeren: ubi vir pius religiosus S. Apollon. indulgentias plenarias, aliaque bona præstat.

Eodem. Pernoctarunt hic reverendi patres societatis Jesu Bergensis Oliverius Bonart et Joannes Batenus: hic sanctitatis opinione obiit, 1635; ille doctrinæ et librorum fama clarus. Dominus præpositus noster ivit

Nieportum cum capellano suo, officium ibidem, loco D. abbatis S. Nicolai celebraturus in anniversario processionis. Vivarium versus aquilonem purgari cæptum; quod certe ut et aliæ piscinæ, nunquam videbatur fuisse purgatum.

1627. Convocato Ipram omni clero ivit et noster D. præpositus et paulo post rediens domum ad precem principis, curavit in ærarium eiusdem 111<sup>m</sup> florenos cujus summæ causa oneratum est clostrum certo nummorum reditu annuo.

Eodem. Dum cæmentarii altius fodiunt muri construendi causa, inveniunt et inter se dividentes clepserunt supellectilem culinariam orbium, patenarum et similium. Sed postea res innotuit.

Eodem. Litem nobis intenderunt Stavelenses pro contributione jurium de pecudibus nostris etc. sed sumptibus fatigati destiterunt. D. præpositus noster invitatus Ipram ad convivium consecrationis D. abbatis S. Joannis, D. Valentini Bertii, ivit cum capellano.

1628. Faber noster lignarius ad sylvam ivit, et ligna evelli, ac formari jussit templo nostro; sed in aquis manent ob tempora mala.

Eodem. Concessum capitulariter ut fieret commutatio (vocatur verlagynghe) 3 vel 4 metarum agrorum cum Christiano de Backere.

Eodem. Ob vehementes nimbos in maio facta alluvio aquarum, quamvis graviter vernaculi nostri sex per 4 noctes diesque obstitissent diversimode; pecudes nostræ ad altiora arva deductæ sunt.

Eodem. Perfecta nova culina; 3 junii, culinarii servi eam intrarunt. Eodem. Ivit D. præpositus noster Neoportum eadem de causa qua

super.

Eodem. Nostri servi piscantes in Isara versus occidentem et aquilonem, reti suo inter alios pisces, concluserunt salmonem amplius III pedum longum, xv et amplius pondo, æstimatum x lib Flandriæ, miræ suavitatis in gustu.

DESEN SALM IS GHEVANGHEN IN ONSE REVIERE ISERE IN SEVENSTEN JULII.

1628. Præpositus noster ivit Attrebatum causa litis nostræ Fromellis, sifors convenire posset cum episcopo; at nihil profuit, quod ille nihil non rogaret, nos vero nihil nisi totum retinere vellemus.

Eodem. Fuit hic in augusto P. Joannes le Perys recollecta, insignis venæ poeta, qui inter alia composuit poemata abbati S. Nicolai, de Dunis, etc.

Eodem. Fuere hic una simul excepti convivio et hospitio D. præpositus sive abbas Loensis, D. abbas S. Nicolai, D. abbas S. Augustini prope Morinos, D. præpositus Formesellensis cum pastore S. Martini Iprensis etc.

Eodem. Persecta domuncula: eam inhabitare cæpit Marc. Mesvil primo ad trajectum nostrum, vocamus an den back, in octobri.

Invitatus noster præpositus a domino denominato Iprensium episcopo, in vigilia SS. Simonis et Judæ, ivit Ipram 4 novembris cum capellano domino Cornelio Woulters. Ei congratulabatur quidam legens in choro psalmum — Exaudiat te Dominus in die tribulationis — quoniam erat dies Dominicus, quando

### GEOBGIUS FLEBAT EPISCOPUS IPRIS QUINTA DIE NOVEMBRIS.

1629. In aprili post grandines tonitrua audivimus.

Eodem. Domino præposito nostro cum suis existenti Furnis in processione S. Crucis, reverendissimus D. indixit diem suæ visitationis in Eversam; venit itaque idem reverendissimus dominus e Loa scapha nostra, et a nobis cappis indutis, susceptus cum osculo S. deducitur incipiente mesochoro *Te Deum laudamus*, in sacellum et ibi nos benedictione episcopali donavit; pro more, postera die, ei sub mensa poemate heroico, et altero lyrico congratulatum est convivium cum his chronographis:

> ANTISTES EXERE O SPONSE NEGOTIA, SOLATIUM TIBI ERIT IN SOLITUDINE.

Et:

# VENIT EVERSHAMIAS CHARITATE GEORGIUS &DES FRAGRANS PASTOR, OVES ORE BEARE SUAS.

Prid. S. Pudent.

Fertur dixisse se nusquam tam magnifice ac splendide fuisse exceptum.

1629. Sub mediam noctem 26 maii, magna fuit in monasterio et vicinia turba, eo quod quidam capitaneus Curlingorum Casletensium vellet violentia irrumpere in monasterium ac ibi pernoctare cum cohorte sua, sed nos ad arma sonantes restitimus; adfuit et auxilium vicinorum.

Eodem. Quidam puer ex metu mortis se occultans in horreo per 3 vel 4 dies totidemque noctes, fricando e spicis grana, vixit.

Eodem. In fine julii glaciem pluit: acuminata nimium fragmenta tetigi. In augusto fissa nostra campana; duæ fusæ fuere in Watuwe quas D. præpositus benedixit, unam in hon. S. Joannis, alteram in honorem S. Augustini.

Eodem. Mater D. præpositi nostri nomine Maria Mallet, jubilaria, obiit octogenaria.

Eodem. In vigilia omnium SS. cæptum est pulsari vesperi sub hora 8, — Ave Maria.

Eodem. Consensit idem episcopus nobis licentiam celebrandi officia - particularia ordini can. reg., et a S. Prospero cæpimus in novembri. Pridie S. Nicasii auctio habita nostrarum sylvarum valde cara, ut una meta ascenderet (quod nunquam auditum) ad 25, 27 et amplius lib. Fland. Ante natalem Domini fuit ventorum tempestas.

1630. In aprili, D. prælatus vocatus Gandavum, ivit jussu reverendissimi D. Iprensis. Ivit quoque per Duacum, Cameracum causa litis curiæ Fromellis; similiter ad processionem annuam Furnensium.

Eodem. Item invitatus Loam 12 maii, in monasterio canonicorum regularium, ubi a reverendissimo domino renunciatus est membrum statuum Flandriæ e clero. Noster Palphernerius sub noctem submersus est.

Eodem. D. præpositus vocatus Gandavum prima vice ivit ad con-

cilium membrorum Flandriæ 17 maii. Invisit etiam nos reverendissimus D. etc. sed eadem rediit die.

1630. Venit huc R. D. abbas S. Bertini, Philippus, cum suis, sub meridem et oblata hostia Deo abivit inpransus.

Eodem. Fuit etiam hic D. abbas Zonnebekanus cum priorissa viridis vallis: venit domum dominus præpositus causa excipiendæ professionis, qua peracta mox abivit.

Eodem. Joanna soror unica mea e vita abiit 22 septembris, atque ita ex omnibus,

#### UNICUS ET PAUPER SUM EGO DEUS, IN TE EBIPIAR A TENTATIONE.

Serius aut citius mortis properamus ad urnam. Hei mihi quo nostræ volat irrevocabile vitæ Tempus,

Eodem. In octobri iterum ingens fuit aquarum mare ut domus illa ad nostrum trajectum, amplius medio pede quasi nataret, denique ut in monasterio habitantibus ibidem emigrandum foret. Virschariæ domuncula posita est in Diepezele.

Eodem. Venit ad nos sacerdos hybernus nomine Petrus Butler, honestus, captivitate Dunkerkerorum ab itinere navigatorio ad patriam retardatus et omnibus spoliatus in novembri; et Ipram hinc ibat. Domum rediit D. præpositus Bruxellå: ubi dicitur convenisse principes super statu Reip. Flandriæ et iterum abiit prid. kal. januarii.

1631. Cæpit religiosus jussu domini præpositi, dividere eleemosynam pauperibus semel in hebdomada fer. nimirum 4, tamen tantum pagorum.

Eodem. Magnus timor erat in Flandria de adventu hostium in Flandria, miserandus enim est status Belgii nostri.

Fuit hic reverendus adm. dominus Guilelmus Zylof, archidiaconus Iprensis, vir doctissimus juxta ac pientissimus, et hic pernoctavit ultima februarii.

Venit D. præpositus domam sub vesp. fer. v in Cæna Domini, et in paschalibus festis decessit valde mane.

1631. Hierotheca nostra allata 260 unciis gravis, æstimata 1600 flor. Batavis primo junii, Brugam obsidere volentibus, nonnulla pretiosiora Ipram transveximus sed paullo post reduximus. Præpositus noster ibidem erat cum cæteris membris: sed 4 vel 3 junii recesserunt.

Eodem. R. P. August. Dionysii eremita S. Augustini, concionator celebris et facundus, prior Iprensis, hic concionatus in dedicatione nostra; obiit in septembri.

Eodem. Fuit hic D. decanus ecclesiæ cathedralis D. Franciscus van der Eyken, cum Domino officiali Dion. Blommart etc.

Item fuit hic R. pater Reynerius Jacobsen, filius Mich. vice-amiralli Dunkerkæ, prior sæpe Dominicanorum Bergensium, de quo erat rumor et sermo eum futurum episcopum Audomaropolis, sed alius apprehendit bravium.

Eodem. Magistratus Poperinganus constitutus est in possessione rei litigiosæ contra nos, nempe fæni colligendi quod crescit intra alveum vari Poperingani ad nostras paludes.

Eodem. In augusto fuit ex continua pluvia aura subtristis et nociva frugibus terræ, et nonnullæ paludes inundabant.

D. præpositus lætantibus nobis, domum venit; fuit hic etiam D. abbas de Eekhoutte Nicolaus van Troostenberghe, 2 septembris.

Eodem. Abrogatum festum reliquiarum nostræ ecclesiæ.

Eodem. D. burgimagister de Furnis Lamorallus de Hornes D. de Stavela, præ cæteris aggravavit nostros censuarios Hispanis, qui tum in hoc tractu hyemabant: sed postea temperavit. Idemque postea etiam aliis impostis nummis, curavit divendi non solventium bona, vestes, aliamque supellectilem sub hasta.

Eodem. Venit domum D. præpositus pridie Natalis Domini.

1632. Monitus et vocatus noster præpositus ad conventum membrorum Flandriæ non ivit, sed permisit ire D. Guilelmum van der Sterre

archipresbyterum suo loco, mansit namque ob aliquam inter religiosos difficultatem hic reticendam. In capitulo jussit a nobis fieri et afferri statum vestium nostrarum etc. et præstitimus.

Ipris dominus præpositus aliqua de causa existens, ad conventum membrorum ubi convenerant vocatus adfuit, et deinceps semper pro more aliquamdiu.

1632. Vinit huc ipsa S. Pentec. vigilia, D. præpositus cum abbate de Dunis, D. Bernardo Campmans et D. Guilelmo de Blasere, primicerio Gandavensi scabino, viris insignibus et membris Flandriæ.

Eodem. Venit etiam D. abbas de Albenburg, D. Maximilianus Denghien.

Eodem. Post aliquantam ariditatem data de cælo pluvia, feria 11 Pentec.. Pridie sanctissimæ Trinitatis venit huc Ipram cogitans, D. Claudius de Croy commissarius magistratuum constituendorum per Flandriam.

Eodem. Dum Ipris membra Flandriæ negotiis publicis inhærent, cito Gandavum vocantur et eunt 12 junii, ob veros quidem sed infaustos rumores; itaque noster præpositus deinceps secutus est.

Eodem. Sisti jubet hic operarios quotidianos, uno alteroque excepto, sed postea iterum vocari. Reverendissimus D. cum D. archidiacono, aliisque hic pernoctans 28 junii, nostra scapha usus est Bergam versus et Dunkerkam-etc. donec Ipram rediret.

Eodem. Iterum ita pluviosum tempus fuit et timeremus illuviem; hic tamen non fuit, sed alibi usque ad 29 julii tristis aura. D. præpositus negotii publici causa Ipram venit conveniendi episcopi causa: quo domi non invento huc venit, et valde mane Bruxellam reversus est 8 julii. Præpositus noster dedit cL florenos in alimentationem militum. Pestilentia grassabatur in primariis præsertim urbibus Flandriæ, sed Dei gratia non plurima mortis imago fuit.

Eodem. Quidam vagabundi milites stricto gladio, verbisque minantibus, debacchati sunt contra monasterium nostrum, 12 augusti.

Itemque quidam auditi sunt ex Elsendamme sibi jam quasi dividere

domos ditiores ad prædandum, quod nimirum jam hostes Mosæ-Trajectum, totamque Gelriam sibi subjugassent in augusto.

1632. Egrotavit noster præpositus Gandavi, judicio physicorum (circa festum Assumptionis B. Virginis) usque ad mortem: sed pedetentim convaluit. Præposito nostro existenti Antwerpiæ ostensum novi prælum Plantinianum.

Eodem. Transiit hac Ipram R. P. Bernardinus de Bergis capucinus, vir egregius, ac sapientia mystica clarus, sæpius guardianus et novitiorum formator; ibat Lovanium in septembri. Eodem die erat D. de Muelevoet cum aliis viris, quæstoriæ occiduæ Flandriæ, qui una omnes ivere Ipram scapha nostra.

Eodem. V. D. Guilelmus Zylof archidiaconus venit huc Berga, Ipram cogitans, et hic pernoctans missam semper conformavit suam nostro officio: dicebatque posse nos celebrare officia aliquorum SS. nobis particularium. Aura nobis clementissima; inundatio nulla.

Eodem. Venit domum D. præpositus prid. S. Gerardi patroni mei, et donavit mihi de eodem officium, sive exemplar, sed abiit brevi. Interim obiit matertera ejus 13 octobris Anna de Mallet, pro qua ordinarium persolvimus officium deffunctorum. Erat octogenaria. Dominus Augustus pridie D. Thomæ apost. privatus fuit clavibus cellæ.

Eodem. Tandem venit domum D. præpositus postridie S. Nicasii Ipra et hic Natalem Domini celebravit. Aura favet clementissime; nives, grando, pluviæ nullæ. Adhuc in vig. Nat. D. vidimus pasci pecudes ultra Isaram et poteramus ire Elsendamum arido pede, per prata.

Eodem. Absolvi hæc ultimo die anni, eo quod ms. liber meus, quo mihi opus erat, fuerat abreptus per tres annos.

Numquam revera coram Deo dico, non mentior, Eversamenses magis fuere inglorii, quam cum D. præpositus fama et officio gloriosus, ex pecuniis sibi superfluis coëmit Ipris domos duas cum hortis sibi adjunctis, circa domum refugii nostri, in quadragesima, anno 1632. Sed (eheu!) facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio et

illusio his qui in circuitu nostro sunt. Ad nihilum redegit valde Israel.

Clementia hyemis durat; aliqualis illuvies, sed 15 januarii vidimus pasci pecora ultra Isaram et boare vaccas ac si ad vernalia pararentur gramina. Sub initium februarii fur sacrilego ausu, abstulit cyphum argenteum e templo S. Richarii.

Die x februarii, convocatis canonicis nostræ ecclesiæ et pastoribus tribus et cæteris domi existentibus, proposita est nobis a domino nostro præposito venditio xxv11 metarum, ea conditione ut pecuniis earundem ex venditione habitis, statim per auctoramentum eorum quorum inter est (alias venditio nulla foret) emerentur terræ meliores: consensum a presentibus et absentibus: terræ autem istarum metarum jacent circa sylvam nostram. Emebat Jac. de l'Atre nomine Christiani de Backere.

1637, 16 aprilis, Leodii a furente populo truncatus branchiis et virilibus, pede uno suspensus est Renatus de Renesse, comes de Warfusée, caput (ut vocant) financiarum; clam palamque Geuseos persona sua, nervo bellico, et consilio juvit adeo ut provinciæ Belgicæ nocuerit ineffabiliter, furto suo pecuniarum totam ærarii et supererogativarum massam clepsit; propter quod in fine alterius anni et initio hujus fuerat proscriptus cum confiscatione bonorum suorum: o perfidum caput! O furem magnum.

1633. Ex quotidiana ferme pluvia per tres septimanas, a medio aprilis usque 3 maii, facta est multo major alluvio aquarum quam in hyeme, sed Dei gratia deinceps per siccitatem aeris effluxit, quæ duravit usque initium junii.

Eodem. Fuit hic venerabilissimus D. archidiaconus Iprensis qui valde benigne affatus est plerosque nostrûm per horam et amplius stando vel ambulando in horto nostro vel alibi, singulos eorum ratione pacando, vel amicitia. Is est cujus manu et sapientia tota diœcesis regitur, absente jam multos menses  $\mathbb{R}^{m_0}$ .

Eodem. In Isara fluvio captus est salmo ultra pontem Elsendamum a nostris 3 junii, vel potius *salm*, non nimium erat magnus. Ab alio viro

eodem anno captus fuit salmo in eodem nostro fluvio, multo major nostro primo.

1633. In junio rediit noster episcopus Ipram, sed paullo post Bruxellam vocatus ivit in julio.

Porta nostra reparata est aquaria eodem mense, una nimirum murorum pars minabatur dudum ruinam.

Eodem. D. abbas S. Bertini cum senatu Poperingano cogitavit, cæpitque alteram cataractarum supra varum de Poperinga effossam, horsum versus ponere, sed membra aquagiorum cum senatu Furnensi aliisque viris obstiterunt ac inchoata opera ruperunt.

Eodem. Lis de ecclesia Formellana porro urgetur et episcopus Attrebatensis semper tergiversans, respondere. Ob patriæ suæ negotia, habito placito et mandato a curia Romana, in medio novembris causam suam agere coactus est. 7 novembris fuere hic abbas S. Bertini et alii pro dictis cataractis. Porro ex quotidiana ferme pluvia a medio octobris plus minus inundaverunt, solito more, aquæ super prata et pascua; deinceps gelu sequente in decembri.

Eodem. Princeps nostra Isabella Clara Eugenia post quartam ægritudinis suæ diem, animam Deo reddidit die prima decembris, ætatis suæ LXVII et fere 1v mensium. D. Paulus canonicus noster 13 novembris, primitias missarum Deo obtulit.

Eodem. Pro coronide hujus: visus hic in via nostra quam cinghele vocamus, cervus satis magnus, qui aquas pertransiens e prato aquilonari viam cepit, ct iterum trasnando magnum vivarium, quod est extra portam nostram, cito cursu cucurrit. Duos cornu suo insequebantur, D. Lamorel burggravius, D. de Stavela, e Bevera huc ipsum insequendo, et unum Delval, nobilis dictus dominus d'Hornes, globo trajecit et ad prælatum nostrum partem misit D. abbas Loënsis; pars autem erat pes anterior cum dimidio capitis usque ad calcem; hic dicebatur captus in Watuwe: misit et majorem partem D. Lamoral altera die. Et hic finis anno 1633

8

1634. Prid. S. Anthonii abb. in januario, venerunt huc cum litteris  $\mathbb{R}^{m^i}$  D. episcopi, D. archidiaconus officialis et alius canonicus Iprensis, et postera die singuli audimur, excepto domino pastore S. Richarii, qui maleficio et ægritudine cæpit infestari cum ancilla sua et domo per totum annum. Cubiculum in dormitorio cum camino paratur in februario: ægrotantibus religiosis, vel pillulas subinde sumentibus accommodatum, in martio.

Eodem. Hodie, quæ est vui martii, abhinc 40 annis, de utero matris meæ projectus sum: de ventre matris meæ tu es protector meus, Deus meus: atque ita xxxx ætatis meæ in mundo peregi. Ecce dies mei sicut umbra declinaverunt. Tu autem in æternum es. Dixi nunc cæpi. Te solum ambio æternum vivere. Offero Domine tuæ bonitati bona tua, condona mihi mea mala, quoniam iniquitatem, malitiam et infirmitatem meam ego cognosco et deploro. Misericordias interim Domini pro misericordiis et gratiis, pro donis et virtutibus in æternum cantabo. (Hic iterum paucæ desunt lineæ.)

In hebdomada sancta officium divinum quod hactenus sub vesperam prævenimus ante fer. v et deinceps, modo mane ipsa in feria persolvimus et fer. vi vino caruimus pro majori Dei optimi gloria.

Post menstruam, aut amplius, siccitatem, pluviam dedit aliqualem Dominus, 19<sup>•</sup> die aprilis. Mussitatur inter homines de quorundam nobilium Belgarum proditione, præter Henricum van den Berghe, comitem Egmondanum, Warfusæum: et vero nuper in aprili D. Franciscus de Monçada, marchio d'Aytona, tanquam gubernator Belgarum edidit scriptum typis impressum, in quo nominabantur adhuc tres alii, principes d'Espinoy, Barbanion, et comes de Hennin, alias *duc de Borneville*, gubernator III civitatum Flandriæ gallicæ, Insularum, Duaci, Orchiæ; qui per West-Flandriam nimirum per Poperingam, Hazebrouck,

(1) Desunt quatuor aut quinque lineze.

fugit in Galliam. Dicitur nunc (17 maii) esse Boloniæ: quidam de clero nominabatur, sed quum certum non est, nomen subticetur.

Eodem. Benedictus opt. Deus. Hoc anno processio Stavelensis intravit sacellum nostrum ibi intonante nostro cantore, hymnum: Veni Creator, dein oratione ac demum habita concione a R. P. Pours recoll., abivit.

Die 12 junii unus e nostris religiosis Dixmudam ivit quæsitum sacras reliquias missas per quandam virginem a R. D. Juvenale capucino, ad religiosos S. Nicolai ibidem morantes.

Eodem. Pro pluviæ refrigerio jussu R<sup>mi</sup> nostri Ipris, indictæ supplicationes publicæ, habitæque sunt per urbes et diecesim valde devotæ, 11 julii: et exinde aër vel aridam pluvioso imbre rigavit. vel nube aquosa refocillavit. Benedictus opt. Deus in omnibus et per omnia. Amen.

Eodem. Consensu dominorum presentium de capitulo oblatus libellus supplex est R<sup>mo</sup> nostro Iprensi quatenus contractus locationis decimarum de Formellis abhinc 111 paullo minus annis, inter D. præpositum et D. Claudium d'Ognies, dictum de Coupigny, ad vitam cjus et duos annos post mortem domini præpositi, annularetur, die S. Anacleti P. et M. sed videtur postea mutatum consilium.

Eodem. D. Anthonius Sanderus can. Iprensis attulit scedulam continentem sequentia: Series præpositorum: Quando cæperit ecclesia: Quis fundator: Qui præcipui benefactores: Cui sit sacra, an cultus in ea peculiaris Deip. virg. vel alterius S.: An aliqua aliquando contigerint miracula: An reliquiæ notabiles, an sepulturæ illustres: An picturæ, vel statuæ ab eximio aliquo artifice? infra: A. Sanderus can. Iprensis. Cui de omnibus pro modulo nostro respondimus, in julio. — Petebatque delineatiunculam cænobii, quale erat cum insigniis suis et prælatorum; sed eam nondum accepit, cujus causa tristatur.

D. de Fromont locum tenens gubernatoris Flandriæ-gallicæ, ad monasterium venit et promisit domino nostro præposito se curaturum ut summa v<sup>m</sup> florenorum semel data, restituatur initio augusti.

Domus nostra rustica trans Isaram versus occidentem sita, nocte ante

diem S. Augustini exusta est cum aliqua supellectile censuariæ Danils vulgo Dais. Gratiarum actiones indictæ per diecesem nostram, litteris ab Aula ad episcopum nostrum missis, xvn augusti, in ultima augusti, quod certo Ratispona esset recuperata. Domus illa abusta paullo post reparari cæpta multo splendidius. Aquagiorum membra hîc de more solebant tractari, sed in septembri D. præpositus abrogandum censuit.

1634. Initio septembris negotium litis nostræ contra R. D. abbatem de Loo hic promovit D. Michaël de Goimecourt consiliarius Gandavensis, cum D. Cornelio pensionnario Furnensi et Matthæo Winnebroot, causidico nostro Gandavensi, auditis quorundam hominum depositionibus. Octava octobris, quæ erat dominica, ivit D. præpositus noster cum D. decano nostro et capellano suo, ad S. Sixti celebraturus summum sacrum S. Brigittæ, cujus festivitas tunc etiam erat, de qua P. supprior F. Reginaldus a gratia Dei sermonem gallice habebat cum laude audientium.

Transiit per Eversam die 15 octobris, D. archidiaconus Iprensis et mane Bergam ivit. Item clariss. vir D. Jeremias Pirsenæus consiliarius Gandavensis J. U. doct. et poeta gravis, cum quo collocuti fuimus et collusimus familiariter: ibat hinc Furnam nostra scapha ubi pestis grassari incipiebat.

A 19 octobris cæpit pluviosus aër et dedit pluviam cum antea ab augusto vix sexies bonam pluviam habueramus, unde contigit penuria aquarum, graminumque pecoribus pascendis. Benedictus optimus per omnia DEUS.

Eodem. Die dominica, 29 octobris, litaniæ majores resumtæ ante summum Sacrum more antea solito, et litaniæ B. Virginis post completorium, cum 111 orationibus: Deus cui propr. Omnip. sempiterne Deus qui facis mirab. Deus, qui nos a sæculi vanitate conversos. Voluit tamen D. præpositus ut dictæ 111 orationes dicerentur post majores litanias et post litanias B. Virginis oratio eidem propria — Defende quæs. cum — Sub tuum præsidium.

Eodem. Magna verum pompa, communi Belgarum lætitia introductus e Vura Bruxellam fuit illustrissimus D. cardinalis S. R. ecclesiæ frater regis

Hispaniæ, dominus FERDINANDUS, totius gubernator Belgii pacificus, felicissimus. 4 novembris.

Eodem. Ivit D. noster decanus Jacobus Ipram die 26 novembris, cum reliquiis e legione Thebæorum quas V. D. archidiaconus Guilelmus Zylof ejusque nepos D. Guilelmus van der Mersch, pastor S. Martini, et D. Stephanus Piret, canonicus, sub signatura domini Francisci Carpentier, canonici et sigilliferi capituli canonicorum (episcopo IX apoplexia sine loquela jacente) approbarunt, et eas procuravit reverendæ piissimæque vitæ P. Juvenalis capucinus, guardianus, cum autenticis probationibus: cujus epistolam ad R. nostrum præpositum Joannem scriptam vernacula sua ligna nobis sub mensa recitavit D. decanus, die S. Andreæ, in qua eas se mittere dicebat.

1634. Tempus valde impluvium, adeo ut vix hoc anno pluviam, vix ventos senserimus, sed fumosum manet usque decembrim, ideoque pestiferum; nulli adhucnum fluctus in palude usque dec. Benedictus DEUS in omnibus.

Eodem. Georgius reverendissimus episcopus noster dudum apoplecticus ex hac vita migravit, die 19 decembris; pro cujus refrigerio officium defunctorum 3 lectionum, persolvimus, cum missa.

1635. Bono principio: prædicavit in vestitura novitii Joannis hic in Eversam primo die junuarii et anni, certe egregie, P. supprior S. Xysti. Benedicta domus S. Xysti tali ornata viro, eximio prædicatore; crescat in mille millia. Nomen ei erat P. Reginaldus; gallica lingua prædicabat: nobis familiaris.

Eodem. D. Franciscus frater noster per vi vel paulo plures menses vehementer cruciatus dentium doloribus ut vix dormire posset, vix comedere auderet, ac demum ut sibi (ut dicebat) videretur fuisse in inferno, vovit, ivitque in Oeren ad cultum S. Apolloniæ; celebravit missam, et rediens sanus nullum sensit dolorem, ut sibi jam videatur in cælo esse: hæc initio januarii. Laudetur Deus in SS. suis.

Eodem. Tandem aliquando ceptum cogitari de reædificatione templi

nostri primo mense: ea de causa allati lateres, purgata rudera, vocati architecti quibuscum consultatum est; denique unus Nic. Fievet pictor, structuram delineavit, secundum quam templum, turris, et sacella ædificarentur. Nunc rudera antiquissimi et primi erecta et dejecta sacelli.

1635. Iisdem diebus per 14 et amplius dies ita gelavit, ut onustum carrum cum equo quidam trans Isaram ad pontonem nostrum traduxerit, die S. Aquilini, xxix jan. Paludes adhuc siccæ.

Præter ordinariam, ferme quotannis, sylvarum (quas vocant Jalloes) auctionem sub initium anni, etiam habita est altera vu° arborum per 3 vel 4 dies circa festum S. Vedasti; a die porro purificationis B. Virginis degelavit, et exinde soluta glacie, niveque, paludes inundaverunt et perseverat satis acris hyems nive, grandine, gelu, pluvia etc. Prid. S. Matthiæ electus et constitutus vice-decanus, sub nomine præsidis, D. Cornelius Bergensis. Nusquam auditur subdecanus hic fuisse, aut etiam apud canonicos non regulares. In metropolitana tamen Coloniensi est unus ante scholasticus chorepiscopus, imo etiam aliam quandam subsignationem legi in Cod. donat. apud Myræum.

Eodem. Tertio aprilis fer. 111 hebdomadæ S. fundatur turris ecclesiæ nostræ cum gradibus dormitorii juxta chronicon.

PRIMUS LAPIS POSITUS EST REVERENDO PRÆPOSITO JOANNE VAN WELSENES.

Ego unum ex primis lætus et etiam in fundo fundavi.

Dum fluit a Christi cunis, qui perspicit hospes, Annus in hunc celsum fundor, honora situm.

Cui omnes cooperati fuimus, lapides, calces, arenam cementarium etc. advehendo etc.

Eodem. Penultima aprilis, ventus vehemens domum nostram pecorum S. Isab. dejecit; in groeneporta, inter alias multas.

Eodem. Iterum timor, iterumque formido in Belgio: Brabantiam depopulantur Hugonottæ et Geusei, oppida minora invadunt et subjugant; in sacra, sacrasque personas suo more bacchantur, fugant,

mactant. Indictis precibus per diec. 30 maii, per vicarium episcopatús nostras cum sororibus de Steenvoorda, feria 2 post Dominicam 4 Pentec. die 25 junii, vices egimus.

1635. Eodem. Casletani et eis vicini nonnulli timidiores fugiebant in junio versus Ipram alioque, dicebamurque nos auffugisse. Sed positis vigiliis qui grassatoribus francis resistant plærique redeunt.

Eodem. In effodiendis fundamentis inventi nummi circiter 40 cum littera S. Ludovicus et † ab alt. parte [anno 1380] et uno nummo Philippi Burg. duc.; itemque crux magna ex ære.

Eodem. Missum ad D. præpositum nostrum Octavarium romanum, anno 1623 approbatum et 28 impressum. Prid. S. Augustini duo carmelitæ e monasterio Thinensi nuper exusto, clero populoque cum pueris et fæminis perempto, huc venêre, dataque eis eleemosina. Ineffabile dicunt quod ibi ab hostibus contigit. D. pastor S. Richarii Petrus Quicke, a multis et sæpius in diversis locis exorcizatns ad multa loca sive altaria S<sup>me</sup> Virginis Gravelingæ, Hallæ etc. sanitatis causa a maleficio, peregrinatus, tandem instinctu domini Henrici Woulters sacerdotis e Bergis S. Winnoci, ad R. P. recoll. Leonardum Jonkbloet Neoporti concionatorem, qui predicti Henrici sororem Gravelingæ manentem et maleficiatam Dei gratia et exorcismis, jejunio, et oratione mirabiliter curaverat, destinatus est; paullo post in julio rediit mansitqus sanatus qui pridem a se, aliisque erat ut morti certæ datus. Benedictus Deus.

Eodem. Die 6 sept. e cæmentariis unus, filius Joannis Viane, cecidit e superiori loco muri templi sed in pedes prius, deinde in clunes, unde adhuc ductus ibat, vellere insuito.

Die porro adolescens postera convaluit, sed die 8 sept. ad ludentes integer, et doloris omnis expers venit. Benedicta gloria bonitatis Dei, quia vidimus et audivimus mirabilia hodie. Is enim dum caderet, nostris narravit magnam apud se fuisse claritatem: denique quidam religiosus advertit eum sæpius in sacellum nostrum venisse, et ante aram et iconem B. Virginis e ligno Aspri collis effigiatam, flexisse et ipsomet die idem fecisse, idque ex instinctu sui magistri, ut ex ore ejus audivi, ne incaute, quod contigit, laberetur.

Eodem. Fuit apud nos in cæna quidam frater cler. Birgittanorum, ex Armenteria Bethuniensi . . . qui petita venia a R. P. suppriori supernominato, mecum loquens inter alia dicebat læto ridentique vultu, dum dicerem rigidum eos habere institutum: in paupertate mallem ita nos manere; et valde timeo, aiebat, ne D. Deus mihi hic det paradysum, quia nullam sentio difficultatem; tam suavis est divina gratia; quam quidem (inquiebat) initio discipuli S. Bernardi tam supereffluentem sentiebant, ut eam rejiciendam, ni aliter S. docuisset eos, opinarentur. Benedicta Dei viventis bonitas in æternum! laudabat autem valde dictum suppriorem. O pretiosum animæ donum, bona gratia Christi! Thesaurus quoque inæstimabilis bonus prælatus.

Iverat R. præpositus noster Ipram ad conventum cleri pro electione membri Fl. e clero Iprensis episcopatus.

Eodem. D. præposito nostro ab aquagiorum membris pro tam crebra convivatione data datum gutturnium argenteum cum manluvio argenteo [in aug.].

Iterum mirabile est quiddam in oculis nostris. Puer 11 autem circiter annorum e nostris scholaribus Joannes Corte, in aquas cecidit inopinatus, et postquam ad fundum semel subsidisset cætero sub aquam corpusculo solis exertis geniculis fluitans pertica vivus extrahitur 23 sept. In octobri eleemosinæ pagatim distributæ, non ad portam deinceps.

> Conticui tandem, factoque hic fine quievi Siqua futura alia monumentis digna perennibus, Inserere his maneat nostros ea cura nepotes. Laus mea (vana hominum) Christus mercesque laborum est.

# CATALOGUS PRÆPOSITORUM

NOSTRÆ ECCLESIÆ DE EVERSAM.

- R. D. Thomas, præpositus, memoratur à Meyero anno 1101 et 1109.
- D. Hugo obiit post 1124.
- D. Albertus vivebat anno 1134.
- D. præpositus Lebbertus memoratur obiisse 1180.
- D. Joannes præpositus vivebat anno 1221.
- D. Petrus præpositus vivebat anno 1371, et videtur obiisse anno 1394.
- D. N. præpositus memoratur obiisse anno 1401.
- D. Venantius Dammere obiit anno 1419, 24 maii.
- D. Eligius Masin, obiit 1451, 11 decembris.
- D. Petrus de Broco (vernacule Vanden Broucke), filius Philippi, vivebat anno 1467.
- D. Balthazar Vanden Poele videtur obiisse anno 1478, 13 maii.
- D. Joannes Van Vleterne vivebat anno Domini 1482 et 1502.
- D. Oliverius Beudin, præpositus etiam S. Martini Ipris, vivebat anno 1526.

- D. Guilielmus Pours videtur obiisse anno Domini 1538.
- D. Quintinus Caulier obiit 1554, 8 maii.
- D. Rogerius Trier obiit anno 1557, 26 maii.
- D Nicolaus Schatse videtur obiisse anno 1562.

D. Joannes Van Loo obiit 1594, 13 octobris.

D. Jacobus Vander Beke obiit anno 1613, 9 dec.

D. Joannes Van Welsenes obiit anno 1638, 3<sup>e</sup> 7<sup>bris</sup>.

D. Jacobus Pierin, Furnensis, consecratus 28 augusti 1639, obiit 9<sup>a</sup> septembris 1648.

D. Petrus De Quicke obiit anno 1660, 27 novem.

D. Antonius Gesquiere obiit anno 1707, 18 augusti.

D. Adolphus Baroudt obiit anno 1720, 1º januarii.

D. Alipius Verlinde obiit 1752.

D. Antonius Raulé obiit 1795.

In Miræo Lib. 2, Donat. belgic. C. 34, Hugo, præpositus Eversamensis tanquam testis subscripsit donationem factam ecclesiæ S. Nicolai Furnis anno 1120.

Ibid C. 141, memoratur testis Donationis ecclesiæ de Loo, Anselmus, præpositus Eversamensis anno 1181, qui anno 1183 per Lucium, papam III curavit bona nostra omnia in bulla numerari eique in protectionem donari. Bona in dicta bulla nominata reperiuntur in fine catalogi benefactorum.

# CATALOGUS

# BENEFACTORUM PRÆCIPUORUM NOSTRÆ ECCLESIÆ DE EVERSHAM.

600

Beneficentiæ nolite oblivisci et grati estote.

Ex opinione quorumdam et traditione seniorum putatur unus ex Haveskerke nobilitate hie obtulisse S. Petro sacellum quod fratrem suum, qui aprum sibi præripuerat, æmulum gloriæ, occidisset.

Gualbertus porro honestæ vitæ sacerdos petivit dictum sacellum libertate donari ab episcopo Morinorum: Elbodo, canonicus Casselensis, sub cujus paræcia situm erat, petitioni favet.

Gerardus demum episcopus dato desuper instrumento, idem libertate donavit cum atrio adjacente, jussitque apostolicam canonicam vitam, juxta B. Augustini regulam, a fratribus jugiter teneri atque observari, anno Domini M XCI, episcopatus ejus anno VIIJ, cum pluribus præsentium signis, qui erant in dignitate ecclesiastica constituti.

B. Joannes Morinorum episcopus vita ac doctrina gloriosus, S. Ivonis quondam discipulus, ac canonicus regularis in Monte S. Eligii, monasterium plurimum promovit ac juvit, anno Domini 1099, et obiit anno Domini 1130.

Gertrudis, illustris comitissa Flandriæ, burgravinna Furnensis, benefactorum primiceria, dedit nostræ ecclesiæ adjacentes vaccarias cum terra et paludes: censentur 90 terræ jugera et 15 metæ paludum; anno 1103.

Robertus Hierosolymitanus matris suæ donationem approbando ampliavit: nam *Gaudweerd* et decimam de *Trist* eidem ecclesiæ contradidit et omnia quæ ad ecclesiam dictam pertinent in suo patrocinio suscepit atque constituit; Volo, inquiens, ut et in orationibus fratrum ibidem Deo servientium memoria mei et antecessorum et successorum meorum fiat in perpetuum. Obiit dictus comes anno 1111; Gertrudis mater ejus obiit anno 1113, 1<sup>•</sup> aprilis.

Walterus de Lokris, 1126.

Adelisa de Renighes, 1177.

Walo de Felchin, miles, qui nobis dedit in perpetuam eleemosynam piscariam in Isara fluvio, 1221.

Petrus et Rogerus ejus filius De Mesnil, qui nobis contulerunt curam de Frommelles cum elemosyna decimarum, 1126.

Philippus Elsatius et uxor ejus Elisabeth qui nobis cesserunt 100 solidos telonei in Perona, 1177.

Philippus, rex Galliæ, avus S. Ludovici regis donationem mox dictam ratam habuit. Obiit autem Philippus Elsatius anno 1191, uxor vero ejus anno 1182.

Arnulphus de Audenarda, de cujus baronia movemus, decimas de Polinkhove, 1221.

Joanna Bysantina comitissa Flandriæ, anno 1244.

Adelisa de Oostvleternes cessit nobis jus suum quod videbatur habere in piscariam Isaræ fluvii. Vivebat anno 1248.

Theodoricus, Dixmudæ Castellanus, immunes nos fecit a teloneo in urbe Dixmudana, 1265.

Guido, comes Flandriæ, sub annum 1295; sub quo anno memorantur: Nicolaus de Rege qui dedit aliquid in provendam, Nicolaus Pelega in Polinchove et Bambeke; presbyteri de Hoogstaede Trailloot, Wilhelmus Bave; Margarita Tackart in Loo; Beatrix, Philippus Du Cruch et Jehan De Breuc, Jehan Avoeke.

Franciscus et Philippus de Haveskerke, fratres nobiles, Jacobus de Haveskerke, D. Hustin, D. de Brene et uxor ejus, forte Agnes van Merves, Domina Vanden Broucke, 1400.

Philippus de Haveskerke alius, 1447.

Robertus Van Borre cum Maria, socia sua.

Jacobus Van Huerne, D. de Montigny, dedit nobis reditus aliquot in Isenbergha et Crombeka, 1447.

Eustachius et Elbodo sibi cognati dederunt 43 metas paludum, 1160. Marsilia filia Nigerici dedit 12 metas terræ, 1170.

Joannes Doom, decanus obtulit VIIJ metas et J lineam in Egwardicapella, quæ deputatæ sunt infirmariæ, 1467.

Georgius Regis, curatus parœciæ de Hoogstade, procuravit, sua cedens jura patronata, nobis dictam curam.

